Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

507

DA BOX

No. 1276.a



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

עֹז הַקֶּדֶם

CÆLUM
ORIENTIS ET
PRISCI MUNDI
TRIADE
Exercitationum Literariarum
Repræſentatum,
CURISQVE
THOMÆ BANGI D. ET. PR.
Regii Haunienſis inveſtigatum.
Cum
S. R. M. FRIDERICI III
Speciali Privilegio.

HAUNIÆ
Typis PETRI MORSINGI, Reg. & Acad. Typogr.
Sumptibus vero PETRI HAUBOLDI Bibliop.
M. DC. LVII.

J Rosing.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)




A ET Ω Apoc. 1,8. 1,11. 21,6. 22,13.

PRINCIPIO. ET. FINI. Apoc. 1,8.

JESU. CHRO.

JUSTITIÆ. NOSTRÆ. Jer. 23,6.

J E H O V A H.

QVI. EST. QVI. ERAT. ET. QVI. VEN-
TURUS. EST. Apoc. 1,4,8. 4,8. 11,7.

S C H I L O H. Gen. 49,10

JESU. CHRISTO.

FILIO. DEI. UNIGENÆ. Joh.3, 16.

REGI. REGUM. ET. DNO. DNANTIUM. Apoc. 17,14 19,18

PANTOCRATORI. Apoc. 1,8.

LEONI. DE. TRIBU. JUDA. Apoc. 5,5,1.

RADICI. DAVIDIS. ITA. VINCENTI. UT.
APERIAT. LIBRUM. SEPTEM. SIGILLIS.
OBSIGNATUM.

DNO. AC. DEO. NOSTRO.

JESU. CHRISTO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

DEDICATIO.

Col. 1, 14. IMAGINI. INVISIBILIS. DEI. ET. SPLENDORI. GLORIÆ. EJUS. ET. CHARACTERI. HYPOSTASIS. EJUS.

Hebr. 1, 3.

Num. 24, 17 STELLÆ. JACOB.

Luc. 1, 28. ORIENTI. EX. ALTO.

JESU. CHRISTO.

1 Joh. 1, 1. VERBO. VITÆ.

VERO. DEO. ET. VITÆ. ÆTERNÆ.

1 Joh. 5, 20.

Gen. 48, 16 HAGGOELI.

DO. DICO. DEDICO.

PRIMA. HÆC. ANTEDILUVINARUM. LITERARUM. ORSA.

TENUIA. QVIDEM. ET. INDIGNA.

Col. 1, 17. TANTO. RERUM. CUNCTARUM. STATORI.

TUA. TANTUM. JESU. CHRISTE. GRATIA. ACCEPTA.

ETENIM.

IN. TE.

JESU. CHRISTO.

GRATIA. NOBIS. DATA. EST.

2 Tim. 1, 9. ANTE. TEMPORA. SÆCULARIA.

IN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

DEDICATIO.

IN. TE.

CHRISTO. JESU.

DILECTO.

CARITAS. DEI. A. NOBIS. SEPARA- Rom.
RI. NEQVIT. 8, 39.

IN. TE.

SERVATORE. Eph.

JESU. CHRISTO. 1, 7.

GRATIFICATUS. EST. DEUS. NOBIS. RE- Eph.
DEMPTIONEM. PER. SANGVINEM. 1,6,7.
EJUS.

IN. TE.

JESU. CRHISTO.

ELEGIT. NOS. DEUS. ANTE. Eph.
JACTA. FUNDAMENTA. MUNDI. 1, 4.

IN. TE.

JESU. CHRISTO.

QVÆ. IN. COELIS. ET. QVÆ. IN. TERRIS.
OMNIA. CREATA. SUNT. ET. Col. 3,
CONSISTUNT. 15.

IN. TE.

JESU. CHRISTO.

PLACUIT. OMNEM. PLENITUDINEM. Col. 2,
DEITATIS. CORPORALITER. HABITARE. 9.

IN. TE.

JESU. CHRISTO.

Eph.
OMNIUM. IN. COELIS. ET. IN. TERRA. 1, 10.
FACTA. ANACEPHALÆOSIS.

IN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

DEDICATIO.

IN. TE.

JESU. CHRISTO.

2 Cor. DEUS. RECONCILIABAT. SIBI. MUNDUM.

5, 19. IN. TE.

JESU. CHRISTO.

OMNES. THESAURI. SAPIENTIÆ. ET.

Col. 2, NOTITIÆ. ABSCONDITI.

3. IN. TE.

JESU. CHRISTO.

LOQVUTUS. EST. NOBIS. DEUS.

Hebr. IN. TE.

1, 1. JESU. CHRISTO.

VITA. NOBIS. QVÆ. LUX. EST.

Joh. 1, IN. TE.

4. JESU. CHRISTO.

DOMINO.

LUX. SUMUS.

Eph. IN. TE.

5, 6. CHRISTO. JESU.

VOCAT. NOS. DEUS. AD. ÆTERNAM.

1 Petr. SUAM. GLORIAM.

5, 10. TIBI.

JESU. CHRISTO.

SEDENTI. SUPER. THRONO.

BENEDICTIO. ET. GLORIA. ET. SAPIENTIA.

Apoc. ET. GRATIARUM. ACTIO. ET. HONOR.

5, 12, ET VIRTUS.

13. ET. FORTITUDO. DEO. NOSTRO.

7, 12. IN. SÆCULA. SÆCULORUM. AMFN.

Apoc. 19, ALLELUJA.

4.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

α ε ο ω

L. S.

VOtis complurium eruditorum, qvibus noſtrâs ac exterum ſolũ inclareſcit, diu abalienata a proprii ingenI fœtu φιλοσοεγία *tandem ceſſit.*

Modò editus in lucem, tuo conſpectui, Benigne noſtrorum conatuum Interpres, *tergeminus primâ vice ſiſtitur. Faſciis argumenti involvitur, qvod temporum*

vetuſtate pæne obſolevit. Tantò igitur faciliore dignus favore, quantò antiquiore & auguſtiore ſtirpe oriundus.

PARENS *ejus* REGUM *primus*, PROPHETA ET SACERDOS *primus.*

CONSERVATOR *verò ejusdem facilè princeps ac primus*, δίχρονος *antediluviani & poſtdiluviani mundi incola.*

COMES *a latere jam adultiori dilectus Deo Mundi hæres.*

PERFECTOR, *Nomothetarum Caput ac fidus in domo Domini miniſter.*

RESTAURATOR, *Jeruſolymo-*

rum

rum Secundum decus atq; cœleſte ſubſidium.

APEX *ſummus florentium divinarum* LITERARUM *Malachias Prophetarum poſtremus.*

His Natalibus, his Educatoribus, his Dominis, his Patronis gloriatur aleæ variorum judiciorum jam nunc exponenda ſoboles, præſertim verò horum omnium Conditore & ſurgentis orbis Reſtitutore. Cujus cœleſti gratiæ & ſingulari virtuti qvicqvid rectum ſcitúmve oſtendit, ſe humillima devotione debere fatetur: minùs perfecta, ſua agnoſcit.

Sicu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Sicubi verò cuipiam viſus fuerit alienior hic fœtus ab opinionibus ſummorum ingeniorum, qvorum virtutes colit, tuebitur eum jus Chriſti divinũ, καιρὸς διορθώσεως καὶ νόμος τῆς ἐλευθερίας *pleniſſimus communis favoris. Cujus particulam ſi tuo conceſſu, Candide Anagnoſta, merebitur: propediem nova vetuſtorum characterum ſubſidia, divina obſtetricante gratia, orbi ſiſtentur. Valeat Philalethes Lector, & recentes hujus perantiqvæ propaginis elementariæ cunas faventiore manu volvat.*

HAUNIÆ Danorum An. CIↃ IↃC LVII, Die Concordiæ, qvi Auctori natalis.

EXERCITATIO PRIMA
DE
Pliniana Literarum æternitate, primis Literarum natalibus, Libro Henochi, & Literis cœleſtibus.

INcredibile dictu eſt, qvàm eximium lumen ac columen præſtet rebus divinis & humanis rarum Literarum depoſitum providi Numinis munere hominibus conceſſum, ad immortalis Dei gloriam propagandam, ad immortalitatem mortalibus conciliandam, & admirabilem vitæ communis atqve cœleſtis utilitatem promovendam.

Non ſatis fuit divinæ Benignitati oppidò eximium volubilis lingvæ organum gulæ pariter ac jugulo inſeruiſſe ad internoſcenda varia ſaporum genera, ad effingendam ac emodulandam blandam ſonorum varietatem, niſi unà manum voce velut animâſſet, & dextram lingvæ vicariam dexterrimo ſucceſſu conſtituiſſet.

Ne itaqve grande hocce LITERARUM κειμήλιον evileſcat, in primis apud viles & nihili animas, qvibus nihil ſublime eſt, niſi qvod ambitionis, avaritiæ & voluptatis idolum humi abjecit: pro virili allaborandum erit, ut priſci ac primi LITERARUM natales, qvarum rudimentum abecedario puſionum gregi vulgò relinqvitur, excuſſò pulvere ſitúqve, qvem veri ignara plebs affricare ſolet, magis magiſqve eniteſcant. Tantò enim lætiùs effloreſcet LITERARUM decus, qvantò antiqviore & illuſtriore ſtirpe enatæ adoleverint, imò multiplici varietate prope in immenſum creverint. Principiò igitur diſqvirendum erit,

QVÆST. I,
An æternus ſit LITERARUM *uſus?*

EXimius naturæ ſcrutator C. *Plinius* Hiſtoriæ naturalis lib. 7. cap. 56. Ajenti ſententiæ patrocinatur, *æternum* LITERARUM *uſum* aſtruens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Grande certè ἄτοπον (ſi verba preſsè urſeris, remotô finitæ æternitatis ſipariô) a qvo abhorrent omnium eorum mentes, qvi *Deum* ſolum *æternum* venerantur. Id qvod *Philippus Mornæus* lib. de veritate Religionis Chriſtianæ cap. 7. pag. 107. edit. Herborn. in Plinio ante nos notavit, citatiſq; Plinii verbis hanc γέλοιον addidit: *Stupor!* inqvit Mornæus, *æternas concludit Plinius literas unde novæ convincuntur. qvod ſi verò conſtat de origine artium, legum, rerumpubl., de inventione commercii, victus,* LITERÆRUM *ipſarum, id eſt, de civilis & ruſticæ, rudis & politæ vitæ initio: an malumus nos in homine, imò in humano genere æternam ignorantiam, æternas tenebras, qvàm pueritiam, qvàm auroram, qvæ tempore profecerit & invaluerit, confiteri,* &c. Eandem incudem duriùs tundit *Franciſcus Sacchinus* in Protreptico cap. 3. & qvidem his verbis: *Inventorem Plinius cùm inveniret nullum, qvô non vetuſtior proderetur, apparere inde concludit æternum literarum uſum. Neqvaqvam id ego dixerim, qvia nec mundus æternus eſt.* Hæc *Sacchinus.* Profanam hanc & paganam LITERARUM æternitatem Plinio tanqvam Ethnico & Atheo indulſit *Jacobus Salianus* Tom. I. Annalium Eccleſiaſticorum p. 119: *Ita*, inqvit, *licuerit dicere Mundi ortum & ejus autorem ignoranti; rectiùs dicturo, ſi æternam literarum ſcientiam apud æternum Deum fuiſſe dixiſſet, eamq; poſtea ipſius benignitate communicatam mortalibus.*

Licet verò hæc Pliniana aſſertio ſuapte vanitate ruat, & indigna exiſtimetur, in qva operoſiùs aut ventilanda aut refutanda qvis operam perdat: tamen nonnullorum mollis in Plinium benignitas effecit, qvâ ipſum defenſum & excuſatum eunt, ac ſi ſtatim cum condito mundo, primiſqve incolis orbis, qvem tamen Plinius *æternum* ſibi imaginatus eſt, ortas literas putaret, ut calamum expediremus, & fictam Plinianæ hujus æternitatis larvam LITERIS detraheremus.

Nec eſt, qvòd qviſqvam profundùm demiretur, commentitiæ huic LITERARUM æternitati patrocinari Plinium, cùm Ethnicæ vanitati deditus mundum *æternum* ſibi finxerit, imò eundem *Numen æternum* eſſe crediderit. Verba ejus hæc ſunt lib. 2. ſub initium c. I. deſcripta: *Mundum & hoc qvodcunq; nomine aliô cœlum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur cuncta, numen eſſe credi par eſt,* ÆTERNUM, *immenſum, neqve genitum, neqve interiturum unqvam, hujus extera indagare, nec intereſt hominum, nec capit humanæ conjectura mentis. Sacer eſt,* ÆTERNUS, *immenſus, totus in toto, imò vero ipſum totum,* &c. Qvod *Plinius* generatim de mundi

æter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

æternitate modò pronunciare auſus eſt; id ſigillatim alibi jam *Cæleſtibus*, jam *Terreſtribus* mundi partibus tribuit. lib. 2. c. 8. aſſerit *ÆTERNAM eſſe cœleſtibus naturam intexentibus mundum, intextuq; concretis.* Eodem lib. c. 68. tradit, *ÆTERNO gelu premi omne, qvicqvid eſt ſubjectum duabus extremis utrinq; circa vertices, hunc qui ſeptentrio vocatur, eumq; qvi adverſus illi Auſtrinus vocatur. Perpetua caligo utrobiq;* &c. lib. 2. c. 100 aſſerere haut reformidat, qvòd *mare ſit æternus terræ ſudor.*

Porrò *Plinius* non abborruit *æternitatem* certis mundi incolis affingere. Etenim de gente Eſſenorum diſſerens lib. 5. c. 17. eam *æternam* pronunciat. *Ab occidente*, inqvit, *litora Eſſeni fugitant, uſqveqvà nocent: gens ſola & in toto orbe præter cetera mira, ſine ulla fœmina, omni Venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum. In diem ex æqvo convenarum turba renaſcitur, largè freqventantibus, qvos vitâ feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per ſæculorum millia (incredibile dictu) gens ÆTERNA eſt, in qva nemo naſcitur.* Idem ſuis verbis repetit *Solinus* cap. 35. pag. 65. edit. Salmaſ. *Interiora Iudææ, qvæ occidentem contuentur, Eſſeni tenent,* &c. *Nulla ibi fœmina, Venere ſe penitùs abdicârunt, pecuniam neſciunt, palmis victitant: Nemo ibi naſcitur, nec tamen deficit hominum multitudo,* &c. *Ita per immenſum ſpatium ſæculorum, incredibile dictu, ÆTERNA gens eſt ceſſantibus puerperiis.* Sed *Salmaſius* in Plinianis Exercitationibus Solino falſitatis dicam ſcribit p. 616. Nec *Druſio* Comment. de tribus Sect. Jud. p. 29. verum videtur, qvod ſcribunt *Plinius* & *Solinus*. Utraq; igitur Plinii ac Solini æternitas vanitatis manifeſta eſt. Nec magis certa illa æternitas, qvæ literis affingitur, qvàm qvæ Eſſenorum genti. Longè rectius ſentit *Macrobius* lib. 2. c. 10. in Somnium Scipionis, aſſerens non modò Mundum aliqvando cœpiſſe, ſed etiam *literarum uſum*. Ita enim argumentatur: *Si ab initio, imò ante initium fuit mundus, ut Philoſophi volunt, cur per innumerabilium ſeriem ſæculorum non fuerat cultus, qvo nunc utimur, inventus? non literarum uſus, qvo ſolo memoriæ fulcitur æternitas? cur deniqve multarum rerum experientia ad aliqvas gentes recente ætate pervenit? Hæc omnia videntur æternitati repugnare, dum opinari nos faciunt certo mundi principio paulatim ſingula qvæqve cœpiſſe.*

Neqve hili qvidem profecerit, qvi Judæorum fabulas heic aucupari & nundinari voluerit, ac in eorum gratiam ſomniare, *legem ante conditum mundum ſcriptam fuiſſe literis igneis nigris in dorſo ignis candidi:* cujus commenti meminit magnus Theologus, *Martinus Chemnitius* in Examine

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Concilii Trident. de ſacra Scriptura. Fœdiſſimum Judæorum commentum eſt, uti monet beatæ memoriæ ASLACUS SS. Theol. qvondam D. & Prof. in Haunienſi Danorum Academia, qvi in *Chriſtiana Phyſica* notat ad verſ. 9. c. 1. Geneſeos, qvòd Rabbini fabulentu r*ſeptem* ante mundum creata, videlicet, *Paradiſum*, *Legem*, *Iuſtos*, *Iſraelem*, *Solium gloriæ*, *Hieruſalem & Meſſiam*. R. Elieſer in פרקי capitulis ex Hebr. in Lat. tranſlatis a *Vorſtio*, *ſeptem* qvidem nominat, ſed *qvinqve* tantùm enumerat, ſc: *Legem*, *Gehennam*, *Paradiſum*, *Thronum gloriæ*, *Reſipiſcentiam*. Decem verò res creatas eſſe fingunt in veſperæ Sabbati inter luces, ſc. *Iridem*, *Manna*, *Puteum petræ*, *Columnam nubis & ignis*, *Scripturam*, *Tabulas*, *Baculum Aharonis*, teſte *Munſtero* in Geneſ. Ejuſdem coloris eſt, qvod in Talmud fingitur, & à *Rabbi Abraham* refingitur, Librum ab Adamo ſcriptum fuiſſe de Divinitate; item Abelis qvoddam ſcriptum fuiſſe. Confer *Boiſſardum* de Divinat. in Triſmegiſto, *Ambroſii Theſei* Introductionem in Lingv. Orient. *Schikardi* Bechinath Haperuſch. Libri Rabbinici, qvi inſcribitur ספר יצירה hoc eſt, *liber Creationis*, & in doctiſſimo *Maſii* Comment. in Joſvam citatur, auctorem Adamum fuiſſe nugantur Judæi: in qvem משנה, Deuteroſin ſcripſerunt, hoc eſt, commentati ſunt *R. Abraham*, & *R. Joſeph ben* Uziel. Sed variat Synagoga in Auctore hujus libri nominatim exprimendo. Video enim, teſte *Rittangelio*, Viro Hebraicarum & Rabbinicarum literarum peritiſſimo, ab aliis hunc Librum aſcribi *Abrahamo* Patriarchæ. Solent Judæi homines ad fingendum nati libris ſuis hederam illuſtrium & Patriarchalium Nominum ſuſpendere, ut ex iis decus ac robur vanis ſcriptis accedat, licet in eis nonnunqvam plus vappæ, qvàm vini propinetur. Hæc titulorum figmenta malè feriata ſuos produnt auctores, cujus ſint ingenii ac indolis. Etenim dum qvidam eorum mentiuntur, fingunt, refingunt, non annus tantùm eſt, ſed in hujuſcemodi nugis totum vitæ tempus conſumitur. Qvare haut immeritò in Judæorum nugamenta eô nomine invectus eſt *Megalander Lutherus* in Tractatu, qvi inſcribitur: Von den Juden und jhren Lügen/ & paſſim alibi. In hos qvadrat illud *Mart.* lib. 2. Epigr. 86:

Turpe eſt difficiles habere nugas:
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Exploſâ Plinianâ LITERARUM æternitate, & huic affini Judæorum vanitate: jam porrò inveſtigandum erit,

QVÆST. II,

Qvinam ſint LITERARUM *natales, & qvibus Inventoribus primam ſui originem ipſæ Literæ adſcribant?*

TOt ſententiarum divortia mox in ipſo Qvæſtionis propoſitæ veſtibulo comparent, qvot numerantur lineamenta. Qvippe tam nobile tamqve utile inventum, ut multi poſt conditos homines & per orbem ditos participârunt: ita dubiâ Natalium ſive Inventorum multitudine veriùs onerârunt, qvàm ornârunt. Primordia Literarum, qvæ rebus humanis lucem afferunt, Literatorum variæ opiniones obſcurârunt. *Johannes Matthæus Lunenſis Etruſcus*, cujus libellum de Rerum Inventoribus *Auguſtinus Juſtinianus Nebienſis Epiſcopus* edidit Pariſiis 1520, *duodecim* LITERARUM Inventores numerat.

Hunc numerum *Laurentius Schraderus* duplicans, *viginti qvatuor* recenſet in Monumentis Italiæ p. 196. ſeq. qvarum characteres ipſe αὐτόπτης luſtravit, & exſcripſit ex octo columnis qvadratis, qvæ Romæ in illuſtri Vaticana Bibliotheca viſuntur, reduxq; in Germaniam Helmſtadii publicis typis ſculpendos & cudendos curavit; an tanto ubiqve ſucceſſu, qvanto conatu, judicent alii. Nam Schraderianus character tanqvam rudior & impolitior longiùs abit a LITERARUM formâ, qvæ ſpectatur in ſeptuaginta Alphabetis nitidè editis Romæ 1616, a *Jacobo Bonaventura Hepburno*, & in Tabellis Alphabetariis variorum Characterum a variis gentibus uſurpatorum Francofurti 1596 eleganti forma æri inciſis à *Johanne Theodoro de Bry*, & *Johanne Iſraele de Bry*. Confer *Gab. Barium Francicanum* lib. 3. de Lingva Latina p. 214. ſeq. edit. Roman. 1554.

Qvod ſi verò omnes LITERARUM Inventores velut in numerato habere diſcupias, qvos *Schraderus* & *Matthæus Lunenſis* annotârunt, in promptu ſunt hi ſeqventes: *Adamus, Adami filii, Sethus, Sethi filii, Henochus, Chaldæi, Aſſyrii, Syri, Phœnices, Ægyptii, Æthiopes, Moſes, Abraham, Mercurius, Memnon, Iſis, Eſdras, Cadmus, Linus Thebanus, Phœnix, Cecrops Diphyes, Evander, Nicoſtrata, Saturnus, Pythagoras, Epicharmus Siculus, Simonides Melicus, Palamedes, Claudius Imperator, Hieronymus, Chryſoſtomus, Ulphilas*, &c. Atqve hinc nata exiſtimari poſſunt Alphabetorum varia genera, lineamenta & nomina, qvæ Hepburnus Romæ, & ante eum qvædam eorum

Theodorus & Iſrael de Bry Francofurti publicârunt, nempe, *Adamæum, Henochæum, Chaldaicum, Aſſyrium, Mercuriarum, Iſiacum,* &c. De qvorum vera antiqvitate, auctoritate & veritate qvid judicandum ſit, dicturi ſumus EXERCITATIONE Secundâ. Non raro curioſa ingenia fingendi licentiæ plus juſtô indulgent, in primis in iis rebus, qvas à noſtris temporibus longiùs remotas umbra antiqvitatis obſcuravit, ac fingentibus fiduciam fecit. Tutum ſcilicet putatur apud credulos de ignotis impunè mentiri. Niſi itaqve validioribus rerum pedamentis ſuffulta fuerint dicta Alphabeta, credulis qvidem admirationi erunt, ſed librantibus rerum pondera non aliter æſtimabuntur, qvàm vulgò ſolent pyxides foris qvidem aureis & dodrantalibus literis inſcriptæ, intùs verò rerum vacuæ, qvum titulorum tantùm ac lineamentorum cortices viſantur, demptô nucleô, uſu & ortu verô.

Qvicqvid ſit, cum grano ſalis hæc accipienda veniunt, qvæ de LITERARUM inventoribus allata ſunt. Nam nec omnium, nec primarum LITERARUM ſinguli repertores dici merentur: ſed aliis primorum, aliis ſuccedentium Characterum, aliis certæ genti propriorum, nonnullis certorum & paucorum qvorundam Characterum inventio aſſignatur.

Ne verò variarum opinionum nebulis incurioſiùs diſcuſſis veritatis ſol obſcuretur, monet optatæ εὐταξίας & φιλαληθείας ſtudium, ut antiqvum & auguſtum LITERARUM ſtemma luſtrare, & ab ovo, qvod dicitur, accerſere allaboremus. Initium autem facturi ab eo, qvi hominum primus fuit, expendemus,

QVÆST. III,

Num Adamus primus LITERAS *invenerit?*

MAgni nominis Viri non pauci hic ajunt, primi hominis dignitatem atqve excellentiam admirantes & æſtimantes. *Qvem enim alium putemus Deum aut Divinum hominem*, ait *Bibliander* lib. de communi Ratione Lingvarum p. 43. *qvi literas primus invenerit? aut cui potius tribuamus illum divinum animum, ut Ciceroni & Pythagoræ viſum eſt, qvi tot vocum diſcrimina revocaret ad certas leges, qvíqve elementa ſermonis humani aptis notis conſignaret,* qvàm

qvàm illi ipſi Adamo, qvi teſtimonio ſacræ hiſtoriæ omnibus rebus impoſuit aptiſſima nomina, qvæ Deus qvoqve probavit? Etenim qvum vis rationis aptiſſima ſit, eáqve ſe proferat, & veniat ſub ſenſus tum verbis, tum operibus, mihi nullum apparet opus præſtantius humanæ rationis, qvàm qvod notis & ſignis LITERARUM *ſermonem, qvo foras ſe profert, etiam ſeipſam depingit ac deponit in librorum velut arcas conſervandam, ac tranſponit ſe in alios animos, qvorum corpora tum locorum, tum etiam temporum intervallis maximis dirempta ſunt. Reperitqve mens organum ſuæ naturæ conveniens, qvo divina & humana, corporata & corporis expertia, & ut ſemel dicam, qvæcunqve homo poteſt mente comprehendere, inſtrumento comprehendat, aliiſqve ad percipiendum & judicandum proponat.* Hæc ille.

Svidas in voce Adam ante *Bibliandrum* conſimile elogium Adamo tribuit: *Adam*, inqvit, *primus homo Dei manu formatus, & ad imaginem ac ſimilitudinem opificis atqve Creatoris conditus, jure primus ſapiens appellari poteſt, & ut primò conditum ſimulacrum & imago a Deo delineata, ut omnium Chariſmatum plenus.* Et mox: *Hic enim eſt, qvi invenit ſingula, & omnibus canones & regulas accuratas, ac terminos præſcribens, qvos non tranſirent, adaptavit. Hujus ſunt artes & literæ, hujus ſcientiæ rationales, & non aſtrictæ legibus rationis, hujus Prophetiæ, ſacri ritus, purgationes, leges ſcriptæ pariter & non ſcriptæ, hujus deniqve ſunt omnia inventa & diſciplinæ & qvæcunqve ad vitam, atqve convictum utilia ſunt & neceſſaria.* In eandem ſententiam citatur ab *Hermanno Hugone* in erudito lib. de re literaria pag. 46. *Joannes Annius* initio libri primi Not. Beroſi: Qvod, inqvit, *ab Adamo cœperint literæ & diſciplinæ infuſæ, non eſt ex fide tantùm, ſed etiam hiſtoria gentilium & traditione Chaldæorum, qvi ſe Aſtronomiam & literas habuiſſe ante Alexandri Monarchiam tribus millibus & DCXXXIV, annis aſſerunt*, &c.

Laurent. Schraderus in Monumentis Ital. p. 197. annotat, qvod in Columna Literarum octava, qvæ in Bibliotheca Vaticana Romæ viſitur, ad effigiem Adami ſupra ejus caput extent literæ antiqvæ, & ad ejuſdem pedes inſcriptio Latina legatur in hanc verborum formam: *Adam divinitus edoctus ſcientiarum &* LITERARUM *inventor. Angelus Roccha a Camerino* Comm. in Bibl. Vaticanam idem obſervavit, & his Adamiticæ ſcripturæ patronis ſuum qvoqve calculum adjecit: *Ratio*, inqvit, *ipſa perſvadet Adamum Characteres aliis demonſtraſſe.* Qvo factum eſt, ut *Bonaventura Hepburnus Scotus* inter ſeptuaginta Alphabeta Romana, etiam numeret *Adamæum*, qvod charactere & externo lineamentorum habitu a reliqvis diſſidet, de qvo infrà.

Hæc

Hæc ſunt fundamenta & prima orſa, ex qvibus Adamitici Alphabeti telam texunt antiqvitatis literariæ ſcrutatores: qvæ ſi qvis preſſiùs paulò excuſſerit, & ſub incudem veritatis revocaverit; tanta ejus vis erit, qvantam vix ſuſtinebunt, vel levi, qvod dicitur, brachio tacta. Etenim *Bibliandri* ratio petita partim e dignitate & excellentia primi hominis, partim e nominibus bruto animantium generi impoſitis, tanti momenti non eſt, ut validè aſtruere ſufficiat Adamæum Characterem. Nam ambabus, qvod dicitur, ulnis largiri poteris, primum humani generis progenitorem Adamum, ante commiſſum peccatum, & amiſſum eminentium donorum privilegium, ad tantum dignitatis, excellentiæ, & ſapientiæ faſtigium evectum fuiſſe, qvantum in hominem in his terris cadere potuit. Qvia verò Adamo non facile fuit æqvâ tanta commoda mente pati, Apoſtata factus à Deo καὶ τοῦ Θεοῦ ἀοράτου εἰκόνι, relictâ ſui ipſius tanqvam τοῦ χοϊκοῦ εἰκόνι, qvam participamus, ſemetipſum ac univerſum genus humanum a ſummo incomparabilis gloriæ, eminentiæ, ſcientiæ & perfectionis culmine velut humi præcipitavit in abjectiſſimum infamiæ, ignorantiæ & imperfectionis cœnum. Qvare non eſt, qvòd qvis felici ὀνομαθεσίᾳ, cujus perfecta ſcientia & facultate claruit ante lapſum Adamus, imperfectiorem ἀπορίαν καὶ εὑρετικὴν γραμμάτων δύναμιν Adami poſt lapſum metiatur. Eqvidem poſt lapſum, Dei & ſui uſqve adeo ignarus fuit Adam, ut ficulnea præſidia & umbracula qvæſiverit contra aciem divinorum oculorum, qvibus omnia ſunt τετραχηλισμένα Hebr. 4. 13. *Annon*, inqvit, *Lutherus* in Gen. cap. 3. p. 39. *extrema ſtultitia eſt, primum tentare impoſſibilia, dum conantur Deum fugere Adam & Eva, qvem non poſſunt fugere. Secundò tentare fugam tam ſtultô modô, ut inter arbores ſe tutos credant, qvos ferrei muri & montium ingentes moles non poterant ſalvare. Ad hunc modum amiſſâ ſapientiâ & intelligentiâ, pulcherrimis dotibus, ſeqvitur extrema ſtultitia.*

Neqve *Svidæ* auctoritate tanqvam infallibili ſteteris, in primis cùm *Svidas* LITERARUM inventores expreſſurus parùm ſibi conſtet, nunc *Abrahamum*, nunc *Sethum*, nunc verò *Adamum* LITERARUM auctorem declarans.

Minor longè *Annio* debetur fides, qvem nos cum *Voſſio* lib. 1. artis Gram. cap. 9. p. 39. totum penè ex mendaciis & fraudibus conſutum exiſtimamus.

Columna verò *Vaticana* Adamiticos Characteres exhibens tum demùm plenam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

plenam fidem merebitur, ubi eam impetraverit ab infallibili antiqvitatis teſtimonio & veritatis arbitris fallere neſciis.

Ceterùm noſtram ut adjiciamus ſymbolam, hæc habe. Qvamvis è *Moſe*, *Joſepho*, aliiſve ſcriptoribus ſpectatæ fidei exploratiùs necdum innotuerit, ab Adámo Alphabetum Schraderianum vel Hepburnæum, eodem ſervato numero, modulo, & charactere, qvem nunc repræſentat, primitùs inventum fuiſſe, ſartumq; tectum ad noſtra uſqve tempora propagatum: tamen primum humani generis progenitorem formandorum characterum prorſus rudem extitiſſe, aut nihil planè ad rem LITERARIAM felici auſpiciô inchoandam & propagandam adjumenti contuliſſe, vix dum dixeris. Nam, ut ab ultimo primùm ordiamur: qvis eſt, qvi longam tranſactæ vitæ uſuram, qvam Deus benignè Adamo indulſit, multijugem diutinæ experientiæ uſum intuitus affirmare auſit, Adamum novem ſæcula emenſum fuiſſe, ac nongentis triginta annis vixiſſe tanqvam otioſum rerum ſpectatorem; qvippe qvi qvondam univerſæ in terris familiæ pater fuit, Rex & Sacerdos, teſte *Lutherô* in Geneſin pag. 48. nec non OEconomiæ, Politiæ, primævæ ſapientiæ, divinæ pariter & humanæ primus auctor, ſummus moderator & myſta. Qvin potiùs piè ſentiendum eſt, qvòd Adamus animadvertens ſe admiſſo peccato amiſiſſe incomparabiles animi, ingenii, memoriæ, ſagacitatis & ſapientiæ dotes, atqve in tenebricoſum ignorantiæ, ruditatis ac oblivionis ergaſtulum fuiſſe conjectum, relictis ſibi tantùm parietinis qvibuſdam naturalis cognitionis, in id magnô molimine incubuerit, qvomodo reſiduas phyſici luminis ſcintillas jugi mentis agitatione, laborioſa ſenſuum ope & ſcrutiniô exſuſcitaret: imò neceſſitate monſtrante viam, primam artibus & doctrinis facem præluceret, prima characterum rudimenta juvandæ memoriæ causâ præformaret, qvoſdamq; literarum fœtus velut a matre etiamnum rubentes ſuperſtiti ſoboli ac poſteritati obſtetricanti lambendos daret. Nam nihil ſimul atqve natum eſt, perfectum extitit. Ætate, uſu & experientiâ opus erit, ſi qvid a bruta & lenta mortalitate proficiſcetur, qvod perfectionis notam merebitur. Verè enim qvondam cecinit Poëta *Lucretius* ſub finem libri qvinti:

Navigia, atqve agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, veſtes, & cetera de genere horum

B *Præmia,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Præmia, delicias qvoqve vitæ funditus omnis,
Carmina, picturas, & Dædala ſigna polire,
Uſus & impigræ ſimul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientis.

Eandem ſententiam tuentur *Poſtellus, Sacchinus, Alſtedius* & *Jacobus Boulduc Pariſinus*, veluti obſervavimus aliqvot annis poſt editam hanc noſtram ſententiam. *Qvis*, inqvit, *Poſtellus* Præf. lib. de Phœnicum literis, *tam demens fuerit, ut putet homines illos ſanctiſſimos, & eorum, qvi tantùm non mille annos in ſummâ rerum indagine vivebant, filios alumnos & ſuperſtites, poſt mille ſexcentorum & qvinqvaginta annorum decurſum caruiſſe literis, & ſuum aureum ſæculum ſine literis inſtituiſſe? Nulla planè earum rerum, qvæ vitam & exornare & beatiorem reddere ſolent, ſive in Religione, ſive moribus, ſive in artibus, ſive doctrinis & diſciplinis ſit poſita, fuit ſacroſancto illi Patriarchæ Noacho mundi inſtauratori, qvem Janum vocant, incognita.*

Franciſcus Sacchinus in Protreptico edit. Diling. 1626: *Ipſa*, ait, *neceſſitas, ut tentaret* (Adam) *aliqvid & inchoaret, ſuggerere potuiſſet, ipſa nongentorum eoq; ampliùs annorum ætas, per qvam exercitus, eruditus, conſummatus, deniq; maximus veterator effectus eſt, qvemvis hebetem exacuere, & qvemvis torpidum excitare debuiſſet. Qvid enim? an exiſtimabimus cùm per novem ſæcula in illo vere mundi, eaq; vivacitate ac fœcunditate integri ſangvinis, dum gentes ubiqve populatim germinarent, jamq; proſeminatas à ſe nationes, refertáſqve natis natorum, ſeqve in univerſis & ſingulis non ſolùm tanqvam vivis imaginibus expreſſum, ſed etiam propaginibus multiplicatum cerneret, non ipſam naturæ vim & dulciſſimum erga ſobolem & ingenioſiſſimum impetum exſtimulâſſe parentem, qvo cara ſibi pignora, ſeq; illis identidem ſiſteret.* Et poſtea: *Adam igitur poſtqvam ſagaciter vocis ſonos abſonos & infinitos certis terminârat modis, & ſua nomina rebus impoſuerat, inſuper rationem adinveniſſe cenſeri poteſt, qvâ fugacibus ac inaſpectabilibus vocibus indumenta qvædam & vincula injiceret, per qvæ & oculis tantùm non & manibus tenerentur, miraculô ſanè, qvantò magis admirere, tantò magis mirabili.* Hæc *Sacchinus*. *Alſtedius* Chronolog. 28. Originum variarum p. 253. edit. Herbon. 1637. ſcribit: *Adam invenit nomina rerum fuitqve primus agricola. Gen. 2. & 3. &c. Idem invenit Literas Hebræorum, qvas Seth poſtea incîdit duabus columnis, Abraham, Moſes, Eſdras excoluerunt. De punctis Hebræorum idem ſtatuendum eſſe cenſeo. Jac. Boulduc* lib. 1, cap. 1, de Eccleſ. ante Moſen, docet *Adamum à Deo accepiſſe idio-*

ma Hebræum, qvô colloqvebatur, & literas, qvibus ſcribi & legi poſſet, unde Sethi filii nepotibus duarum qvidem columnarum, in qvibus inventa ſua inſcripſerunt, erectio tribuitur à Joſepho: minimè verò Literarum aut ſcriptionis inventio. Sic ille. Confer *Joan. Stephanum Menochium* lib. 7. de Rep. Hebræorum cap. 1. p. 619. edit. Pariſ. Anton. Bertier 1648. nec non *Pinedam* de Rebus Salomon. lib. 3. c. 27. n. 1. *Athanaſii Kircheri Pamphilium Obeliſcum* lib. 1. c. 1. p. 3. ſeq. Edit. Rom. M. DC. L. *Ludovicum S. Franciſci Luſitanum* in Globo Can. S. Lingvæ l. 1. c. 1.

Deinde, ſi qvis evicerit Adamiticam ſobolem etiam Adamo etiamnum ſuperſtite, artem ducendi characteres calluiſſe & uſurpâſſe: rationi conſentaneum erit, patrem Adamum longo experientiæ uſu venerandum, ejuſdem literaturæ non fuiſſe ignarum, qvin potius piè exiſtimandum, liberos ac nepotes non tàm inſcio & inconſulto parente in LITERARUM inveſtigatione operam ac ſtudium poſuiſſe, qvàm paternæ χειραγωγίας operâ adjutos ad tam grandia & utilia cœpta molienda acceſſiſſe. Sed verò Sacra Chronologia locuples teſtis eſt, *Seth, Enoſch, Kenan, Mahalaleel, Jered, Henoch ſive Chanoch, Methuſelach, Lemech* cum *Adamo* vixiſſe. Qvòd ſi itaqve beatæ iſtæ & illuſtres primi ſæculi animæ formandorum characterum gnaræ fuerint, qvo de jam deſpiciemus, rationi congruenter affirmâris, harum progenitorem, moderatorem & doctorem, ætate, auctoritate atqve longo rerum uſu venerabilem, a ſcribendi arte & conſilio non tam alienum fuiſſe, qvàm naſcentis rei literariæ puppim & proram. Qvia verò hoc ulterioris diſqviſitionis indiget; nos à primâ humani generis ſtirpe ad ſobolem deſcendentes qværimus:

QVÆST. IV,

An Adami liberis aut poſteris ante diluvium viventibus cognitæ literaturæ gloria tribuenda ſit?

SI antiqvitatum Judaicarum conditor *Joſephus* fidem mereatur, omnino antediluvianæ Adami poſteritati formandarum LITERARUM rationem exploratam & uſurpatam fuiſſe arbitrari licet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Etenim *Flavius Joſephus* lib. 1. jud. ant. c. 3. tradit geminam columnam, alteram lateritiam, alteram lapideam ab Adæ poſteris erectam fuiſſe, qvibus ſua inventa inſcripſerant. Sed ipſum locum emendatum publicis oculis & judiciis ſubjiciemus: Σοφίαν, inqvit, τὴν περὶ τὰ οὐράνια καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν ἐπενόησαν. ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ εὑρημένα, μηδὲ πρὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν φθαρῆναι, προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἰσχὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθος ὕδατος, στήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν μὲν ἐκ πλίνθου, τὴν δὲ ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέραις, ἐνέγραψαν τὰ εὑρημένα, ἵνα καὶ τῆς πλινθίνης ἀφανισθείσης ὑπὸ τῆς ἐπομβρίας, ἡ λιθίνη μείνασα παράσχῃ μαθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐγγεγραμμένα. δηλοῦσα, καὶ πλινθίνην δὲ ὑπ' αὐτῶν ἀνατεθῆναι· μένει δ' ἄχρι τοῦ δεῦρο κατὰ τὴν Συριάδα. Vetus interpres *Ruſinus* ita vertit: *Diſciplinam verò rerum cœleſtium & ornatum earum, primitus invenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus, qvæ ab eis inventa videbantur, ut anteqvam ad noticiam venirent, perirent, cum prædixiſſet Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram verò aqvarum vi ac multitudine fore venturam: duas facientes columnas, aliam qvidem ex lateribus, aliam verò ex lapidibus, in ambabus, qvæ invenerant, inſcripſerunt, ut & ſi conſtructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus ſcripta cognoſcere: ſimul & qvia lateralem aliam poſuiſſent: qvæ tamen lapidea permanet hactenus in Syria.* Vivaces & ſagaces illæ primi ſæculi animæ divinæ particulam auræ participantes, JOSEPHO Judice, in rerum inveſtigatione occupatæ, plurima indies in cœlo oculis obvia obſervaverant, obſervatáqve jugi qvodam ſtudio auxerant. Ne verò edax ætas, ſocors poſteritas, aut formidandum cunctis viventibus diluvium pulcherrima inventa & obſervata opinione citiùs e memoria hominum deleret, ſaxa ſolertis ſuæ induſtriæ monumenta elegerant. Huc referunt antiqvitatis indagatores illud, qvod olim *Epigenes* gravis auctor judicio Plinii lib. 7. cap. 56. memoriæ prodidit, ſcilicet, *apud Babylonios ſeptingentorum viginti annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas extitiſſe, vel ex ſupputatione Beroſi & Critodemi qvadringentorum octoginta annorum.* Qvicqvid ſit, qvamdiu memorabile illud ſtelarum par veritatis fundamento ſuffultum perſtiterit, ac oppugnantium impetum ſuſtinuerit, ſua antediluvianæ literaturæ conſtabit integritas, ſartáqve tecta manebit.

Tantò durabiliorem rerum à ſe geſtarum memoriam fore arbitrati ſunt

ſunt priſci, qvantò duriora iis conſignandis deſtinari qvita ſunt monumenta. Qvod ſi Auctori hiſtoriæ ſcholaſticæ fidendum putes, vide ſis eam ad cap. 39. Geneſ. *Ninus*, inqvit, *vicit Cham, qvi adhuc vivebat & regnabat in Bactria, ſeu in Thracia, ut alii volunt; & vocabatur Zoroaſter, inventor artis Magicæ, qvi & hanc & ſeptem liberales artes in qvatuordecim Columnis ſcripſit, ſeptem æneis, & ſeptem lateritiis, contra duplex orbis excidium, qvod timebatur, unum per aqvas, alterum per ignem: Ninus verò libros ejus combuſſit.* *Caſſianus* Collat. 8. cap. 21. *ante diluvium filios Seth Caini nepotibus permixtos curioſas maleficorum artes, præſtigias ac magicas ſuperſtitiones inſtituiſſe ſcribit: Chamum eas artes diverſorum metallorum laminis, qvæ aqvarum non corrumperentur injuriâ, & duriſſimis lapidibus, qvi vim ignis non ſentirent, inſculpſiſſe.* Confer *Jul. Cæſarem Bulengerum* de licita & vetita Magia lib. 1. c. 1.

Ceterùm, fidos antiqvarum rerum cuſtodes fuiſſe characteres duriſſimis ſaxis, lapideis columnis, cippis, coloſſis, ſtelis, pyramidibus, obeliſcis inciſos, teſtantur haut pauca complurium gentium monumenta. *Diodorus Siculus* lib. 1. Bibl. p. 23. ed. Rhodom. 1604. memorat, *in honorem & memoriam Iſidis columnam ſepulchralem erectam fuiſſe, in qvâ hæc literarum ſacrarum inſcriptio extabat:* Ἐγὼ Ἶσις εἰμὶ ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, hoc eſt, *Ego Iſis ſum Regina totius regionis.* *Herodotus* in Euterpe. lib. 2. de Seſoſtre Rege Ægyptiaco teſtatur, *qvòd, qvaſcunqve gentes ſtrenuas & pro libertate acriter pugnantes vicerat, in harum regionibus ſtelas lapideas ſtatuerit inſcriptas ſuo nomini & patriæ.* Harum una ſacris his Ægyptiorum literis cœlata extabat: HANC EGO REGIONEM MEIS ACQVISIVI HUMERIS. Pyramidum Regiarum literas Ægyptiacas oſtentantium paſſim meminit *Herodotus* citatô librô. *Strabo* edit. Caſaub. p. 818. *mentionem facit variarum inſcriptionum celſis obeliſcis ſupra Memnonium inſculptarum, qvæ Regum ſtupendas opes & potentiam monſtrabant.* Vide ejuſdem pag. 790. ejuſd. edit. de ſtelis.

Qvamvis non nemini augurari licuerit, antediluvianam illam literaturam ſive ſcribendi vel ſculpendi rationem primo & priſco illo ſæculo non uſqve adeò fuiſſe freqventatam, nec ad illud καλλιγραφίας & perfectionis faſtigium perductam fuiſſe, qvam repræſentat hodierna ſcribendi cudendiqve ars ſolertiſſimorum hominum indagine, curâ & induſtriâ elaborata, & jugi uſu adaucta: Tamen exinde omnem iis, qvi ante fatale diluvium vixerant, ſcribendi uſum adimere velle, fas &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

æqvum haut fuerit. Sunt ſua rebus qvædam primordia, qvæ uſus alit & auget. Ita apud Romanos initiò literarum qvædam velut infantia fuit & rudimentum, Livio teſte, ſub initium lib. 7. *Raræ & parvæ per ea tempora literæ fuere; una cuſtodia fidelis rerum geſtarum memoria. Rudes* (inqvit *Hieronymus* Epiſt. 42. ad Niceam) *illi Italiæ populi, qvos* Caſcos Ennius *appellat, qvi ſibi, ut in Rhetoricis, ait Cicero, ritu ferino victum qværebant, ante chartæ & membranarum uſum, aut in dedolatis e ligno Codicillis, aut in corticibus arborum mutua epiſtolarum alloqvia miſſitabant. Unde & portitores earum* Tabellarios *& Scriptores a* libris *arborum,* Librarios *vocavere.* Plautus: *Qvin hodiè allatæ ſunt tabellæ ad eam, a Stratippode, eum argentum ſumſiſſe apud Thebas ab Daniſta fœnore.* Pari modo Adamum qvidem ortu primum & rerum uſu maximum, longævæ ac operoſæ ſoboli diu ſuperſtitem, artium, doctrinarum, & Literarum rudia quædam ſemina ſparſiſſe rationi conſentaneum eſt, qvæ poſtea ſolertis poſteritatis ope ſubacta & exculta, experientiæ rebus maturandis aptæ rore irrigata, immane qvantum in poſterum adoleverint, & lætas propagines proſeminaverint. Etenim Maniliô auctore,

——— longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua qvemqve
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo.
Seducta in varias certârunt pectora curas:
Et qvodcunqve ſagax tentando repperit uſus
In commune bonum commentum læta dedere.

Et alibi:

Per varios uſus artem experientia fecit
Exemplo monſtrante viam ———

Qvò ſpectat noſtrum Hexametrum, qvod olim eximiis laboribus viri in noſtra patria eruditi edentis Proſodiam noſtratis gentis, dicatum voluimus:

Cum veterum variæ gyrârant pectora curæ,
Scabra perita dies acuit præcordia lentæ
Cote rotæ, & mentes tornans induſtria crevit.
Arma, Domos, Urbes, Veſtes ac mœnia, Leges,
Turritas moles, Aras, Carpenta, Triremes,
Templa, Scholas, Picturas, Grammata, Vaſa Corinthi

Uſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Uſus & impigræ dedit experientia mentis.
Prima rudes Charitum fœtus enititur ætas:
Mox ruditer natum docilis ſolertia carmen
Expoliit ſenſim, non unius edidit omnes
Sæclôrum dotes animus. ſucceſſibus auctæ
Succrevere Artes, qvas vaſtus terminat orbis.

Mercerus Comment. in c. 5. Gen. v. 5. ſic ſcribit: *Longâ rerum experientiâ multa diſcere & cognoſcere potuerunt, qvæ poſteros docuerunt. Ac ſanè videtur illa qvoqve non levis cauſa, ut primi Parentes viva voce traderent & cum illis communicarent, qvæ ab initio ſoli viderant, ut Adam qvi ad Lamechum uſqve nonum a ſe pervenit, prope uſq; ad Noe & diluvium nepotes ſuos de rebus magnis docere potuit multò efficaciùs vivâ voce, qvam ſi tradidiſſet ipſi Seth, qvod poſtea Seth & poſt eum Enos reliqvis poſteris traderent. Adam vixit cum omnibus ſubſeqventibus præterqvā cum Nöe, qvi qvidem natus eſt poſt ejus mortem ann.* 26. &c. Longitudo itaqve vitæ Adamiticæ & paterni convictus cum novem poſteris veluti non exiſtimari debet caruiſſe variis inventis, ita neqve cenſenda eſt planè ſterilis ſcripturæ vel ſculpturæ literariæ, aut literarum primigeniarum, qvales prima admittebat ætas, & poſcebat vitæ ratio, in qva major procul dubio uſus vivæ vocis, qvàm ſcriptionis. Qvot enim vivebant Patriarchæ, tot viva exſtabant volumina. Poſtqvam hæc a nobis ſcripta fuerant & edita Anno 1638: commodùm ad noſtras manus hoc anno pervenit Diſſertatio *Don Joſephi Antonii Gonzalez de Salas Eqvitis Hiſpani* de duplici terra, in cujus Mantiſſæ Sectione 4. p. 159. noſtram ſententiam his verbis tueri deprehenditur, licet nonnullis alterius vitulâ arâſſe viſus ſit: *Nihilominus, licet Moſen, adſeram etiam ego, primum fuiſſe ſapientem, qvi Libros in publicum ediderit; Litterarum tamen Auctorem jure haberi non putem, ſed Vindicem. Altiùs eqvidem autumo, revocari oportere Litterarum inventionem, & cum D. Auguſtino Lib.* XVIII. *de civitat. Dei, Cap.* XXXIX. *putandum, Hebræas Litteras a Lege non cœpiſſe, quæ data eſt per Moſen: ſed potiùs, per illam ſucceſſionem Patrum, memoratam Lingvam cum ſuis Litteris cuſtoditam. Moſen autem ipſum, cùm accingeret ſe condendæ Scripturæ Sacræ, rudes & inconditos characteres antiqvos, poſt diluvium fatiſcentes, in aptiorem formam & uſum concinnâſſe, noſtra ſententia eſt, & jure qvaſi poſtliminii vindicâſſe.* Idem ſentit *Mallinckrot* de Nat. Lit. c. 2.

Porrò, antediluvianæ ſcripturæ patroni haut contenti uno probatio-

nis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

niſ genere, novum præſidium qvæſitum eunt ex *Henochi*, ſeptimi ab *Adamo* Prophetæ *Libro*, qvem ante diluvium tradunt Literarum monumentis fuiſſe conſignatum. Diſqvirendum igitur erit

QVÆST. V,

An ex Henochi Libro certò conſtare qveat Literas ante diluvium viguiſſe?

DE *Henochæi* Codicis veritate multi incerti certant: aliis ajentibus, aliis negantibus, aliis dubitantibus, remq; in medio relinqventibus. *Auguſtinus* lib. 15. de civitate Dei cap. 23. pag. 183. edit. Antv. Plant. 1576. affirmanti ſententiæ aſſenſum præbere haut dubitavit, his uſus verbis: *Scripſiſſe nonnulla divina Henoch illum ſeptimum ab Adamo, negare non poſſumus, cum hoc in Epiſtola Canonica Judas Apoſtolus dicat. Et lib. 18. cap. 38. pag. 233: Qvid Henoch ſeptimus ab Adamo? nonne etiam in Canonica Epiſtola Apoſtoli Judæ prophetâſſe prædicatur? qvorum Noachi & Henochi ſcripta ut apud Judæos & apud nos in auctoritate non eſſent, nimia fecit antiqvitas, propter qvam videbantur habenda eſſe ſuſpecta ne proferrentur falſa pro veris. Sed ea caſtitas canonis non recipit, non qvòd eorum hominum, qvi Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, ſed qvod iſta eſſe non credantur ipſorum:* nempe verorum Prophetarum antediluvianorum, *Noachi* & *Enochi*, de qvibus loqvitur, qvi ducti à Spiritu Dei ſcribebant, ſive ut ipſe Auguſtinus ibidem ſcribit, *qvibus Spiritus Sanctus ea ſcripta revelabat.* Qvæ vera ratio eſt excludendi dicta ſcripta a Canone, non autem altera, petita à nimia antiqvitate. Hæc enim ſi valeret, neqve Moſaicis ſcriptis fides haberetur, qvibus omnium antiqviſſima rerum conditarum origo continetur. Qvam attexit *Auguſtinus*, cauſa verior eſt, ideo canone indigna judicata eſſe, *ne falſa pro veris ſcriptis proferrentur.* Veriſſima autem ultima illa, qvam ſub finem capitis ſubdit, ideo fidem non eſſe talibus ſcriptis adhibitam, *qvia qvædam in iis contra fidem canonicorum ſcriptorum legebantur, propter qvod* (inqvit) *verorum Prophetarum ſcripta non eſſe apparebat.*

Tertullianus Libro de habitu mulierum cap. 3. pag. 277. edit. Pariſ. 1650. etiam hujus ſcripturæ meminit, atqve paulò vehementiùs ejus auctoritatem urſit, his verbis uſus: *Scio Scripturam Henoch, qvæ hunc ordi-*

nem

nem Angelis dedit, non recipi a qvibuſdam, qvia nec in armarium Judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt, illam ante cataclyſmum editam, poſt eum caſum orbis omnium abolitorem, ſalvam eſſe potuiſſe. Si iſta ratio eſt: recordentur pronepotem ipſius Henoch fuiſſe ſuperſtitem cataclyſmi Noe, qvi utiqve domeſtico nomine & hæreditariâ traditione audierat, & meminerat de proavi ſui apud Deum gratiâ & de omnibus prædicatis ejus, cùm Henoch filio ſuo Mathuſalæ nihil aliud mandaverit, qvàm ut notitiam eorum poſteris ſuis traderet. Igitur ſine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione ſucceſſiſſe: vel qvia & aliàs non tacuiſſet tam de Dei conſervatoris ſui diſpoſitione, qvàm de ipſâ domus ſuæ gloriâ. Hoc ſi non tam expedite haberet, illud qvoqve aſſertionem ſcripturæ illius tueretur. Proinde potuit aboleſfactam eam violentiâ cataclyſmi in ſpiritu rurſus informare: qvemadmodum & Hieroſolymis Babylonicâ expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Eſdram conſtat reſtauratum. Sed cum Henoch eadem ſcripturâ etiam de Domino prædicârit, à nobis qvidem nihil omninò rejiciendum eſt, qvod pertinet ad nos. Et legimus omnem ſcripturam ædificationi habilem, divinitùs inſpirari: A Judæis poteſt jam videri propterea a rejecta, ſicut & cetera ferè, qvæ Chriſtum ſonant. Nec utiqve mirum hoc, ſi ſcripturas aliqvas non receperunt de eo locutas, qvem & ipſum coram loqventem non erant recepturi. Eò accedit, qvod Henoch apud Judam Apoſtolum teſtimonium poſſidet. Confer *Tertulliani* Apolog. cap. 22. libro de Idololatria cap. 4. & de cultu Fæmin. qvi Libri *Enochæi* auctoritate aliqvòties uti haut reformidavit, veluti & alii Patres ejuſdem libri teſtimonia ad partes vocare non dubitant. Ratio autem qvam addit *Tertullianus*, eam Henochi Scripturam antediluvianam, ſi vel maximè cataclyſmi aqvis ſubmerſa periiſſet, *in Spiritu rurſus informari potuiſſe inſtar inſtrumenti Judaicæ literaturæ reſtauratæ per Eſdram*, mera conjectura eſt, ſolidô venitatis fundamentô deſtituta. Nam 1, ab eſſe ad poſſe non valere conſeqventiam vera tradit Philoſophia. 2. Totam Scripturam deletis Hieruſolymis periiſſe, necdum probatum eſt; adeóqve ab *Eſdra* reſtaurari opus non erat, in primis, ſi de integro foret reſtauranda. 3. Contrarium potiùs ſtatuendum, ſervatos fuiſſe libros ſacros, etiam in medio captivitatis Babylonicæ deſcrimine Dan. 9. 2. 11. juxta promiſſum Eſaiæ cap. 40. verſ. 6. 1 Petr. 1. verſ. 25. Luc. 21. v. 33. de verbi divini duratione & juxta mandatum Dei de legis præſentis conſtanti uſu Deut. 6. v. 7. ſpeciali Regis circa legem cura Deut. 17. v. 18. ſacerdotali ejuſdem

 cuſto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

cuſtodiâ, atqve ex illa juris dicundi munere Malach. 2. verſ.7. 4. Conſervatas fuiſſe Scripturas tempore *Antiochi* volentis exemplaria legis comburere 1 Mach. 1. v. 43, 59. Sed fruſtrà, ut lib. 1. Maccab. 3. v.48. & lib. 12. v. 9. docetur, Fruſtraneum igitur eſt *Tertulliani* acumen in *Enochæi* libri novâ ſcriptione & auctoritate probanda.

His velut nubem teſtium adjecit *Jocobus Boulducus* de Eccleſia ante Moſen, qvi ſunt *Irenæus*, *Juſtinus*, *Clemens Alexandrinus*, *Athenagoras*, *Methodius*, *Martyr*, *Cyprianus*, *Lactantius*, *Severus Sulpicius*, *Proclus* deniqve & *Pſellus*, Philoſophi Chriſtiani, qvos vide apud eundem lib.1.c.14.p.126. 127. edit. Landr. Pariſ. 1626.

Verum enimverò non tantùm antiqviorum doctorum Eccleſiæ teſtimonia hic ſuppetunt, ſed & novitia noſtrorum temporum auctoritas eò propendet, aliqvid ab *Henocho Literarum* monumentis fuiſſe conſignatum. *Salomon Geſnerus* Comment. in Geneſ. c. 5. qvæſt. 6.p.138. tradit, *probabiliorem eorum ſententiam videri, qvi affirmant tempore Henochi fuiſſe Literarum uſum, eò qvòd nec annorum ſeries adeo exqviſitè ad tot ſæcula obſervari, neqve Henochi verba retineri abſqve literarum adminiculo potuiſſe ſentiant.* Qvibus tamen difficultatibus obviam ieris, ubi ad extraordinariam θεοπνευστίαν, divina oracula 2 Tim. 3. v. 16. Hebr. 1. v. 1. & antediluvianorum extentum ævum Geneſ. 5. deſcriptum oculos converteris. *Georgius Roſtius* in Ep. Jud. p.133.edit. Roſtoch.1627. memorat Librum *Henochi* à *Guilielmo Poſtello* fuiſſe inventum, ejuſqve rei ipſum *Geſnerum* teſtem cicit. *Joh. Druſius* in Ebraicâ antiqvitate verſatiſſimus, Tractatu de Patriarcha *Henocho*, affirmat librum Henochæum etiamnum penes Judæos deliteſcere. Verba ejus excerpta e cap. 22. p. 27. allegabimus: *Librum hunc hodiè adhuc extare apud Judæos dubitare me non patitur Manachemus Ricinenſis, qvi eum aliqvoties laudat*, ut fol. 30. Col. 1. & 2. *Partim ſapientum Cabbalæ* (hoc eſt Cabbaliſtarum) *poſteriorum ſcripſerunt ſe inveniſſe in Libro Henoch filii Jared, qvum abſtuliſſet eum Deus, arcanum hoc unà cum reliqvis arcanis mirabilibus. Cæterùm mentio illius libri à Doctoribus noſtris in Zohar, & ſecundum verba illius Libri ſcito paradiſum inferiorem paratum fuiſſe à die, qvo creati ſunt ſpiritus juſtorum ad commorandum illic in figurâ ſuâ.* Hujus qvoqve Manachemi operâ ſe uſum eſſe Patavii affirmat *Guilielmus Stuchius* in Præfat. Libri de Antiq. Conviyal. *Roſtius* in Epiſt. Judæ, narrat *Capnionem* à *Mirandulano* grandi pecuniâ hunc librum emiſſe. Nos infrà

ſrà voluminis Henochæi fragmentum producemus. *Bibliander* Comment. de communi ratione Lingvarum Druſio qvoqve ſuum calculum adjicit, ſcriptumq́; Prophetæ Henochi ante diluvium extitiſſe affirmat. *Cornelius a Lapide* Comment. in Ep. Jud. docet Prophetiam hanc antiqviſſimam eſſe, & ante diluvium editam. Idem affirmat *Boulduc* lib. 1. de Eccleſia ante Moſen cap. 14. pag. 126. edit. cit. qvi pag. 134. magna audacia pronunciat, *qvòd Noë ſcripta Henoch diligenter conſervarit & repoſuerit in arca tempore diluvii non minore ſolicitudine, qvàm patris Adami & aliorum qvorundam Patriarcharum oſſa: ut qvi ejus, qvem Deus rapuerat, oſſa, qvæ ſervarentur habere non poſſet, ſcripta tanqvam ſacratiſſimum pignus, ac depoſitum ſibi & poſteritati cuſtodiret. Qvorum lectione vel etiam ſolo intuitu ad tanti Auctoris merita divino jugiter conſpectui præſentanda moveretur: qvibus juſtè irati Numinis in mortales miſericordiam faciliùs impetraret. Hoc namqve pacto intelligenda cenſeo, qvæ ſic de ſanctiſſimo Patriarcha Noë profert Eccleſiaſticus* cap. 44. v. 19. *Teſtamenta ſeculi poſitæ ſunt apud illum, ne deleri poſſit diluviô omnis caro.* Hæc *Boulduc.* Verùm Græcus textus collatus cum verſu 11. cap. 44. in primis cum verſ. 8. c. 4. & 19. ejuſd. cap. docet, qvòd Sirach loqvatur de æterno fœdere, qvod Deus pepigit cum eo, qvo cautum eſt, univerſum genus humanum diluvio haut conſumptum iri. Sed Vulg. Interpres decepit *Boulducum.* Huc ſpectant alphabeta, qvæ Henocho aſcribuntur, partim ab *Hepburnô Bonaventura*, partim à *Joan. Auguſtino Pantheo, Veneto Sacerdote*, qvi anno 1530, in Libro, qvem miro titulo, VOARCHADUMIAM inſcripſit, Characteres Henocho conceſſas expreſſit. *Cedrenus* de Henocho ſcribit: οὗτος πρῶτος γράμματα μανθάνει καὶ διδάσκει καὶ θείων μυστηρίων ἀποκαλύψεως ἀξιοῦται; qvibus & Zonaras aſtipulatur. *Andreas Hojus* in Hiſt. Sacra & Profana p. 6. dicit, *qvòd meritò conſeatur Enoch primum omnium aliqvid libris ſive literis mandâſſe.* Nec non *Ludovicus Balleſter* in Onomatographia ad vocem Enoch p. 356. edit. Pariſ. 1617: *Omnium primus videtur libros conſcripſiſſe. Scripſit autem de futuro judicio adverſus Hæreſin Cainitarum, qvæ tum præſertim videtur invaluiſſe. Scripſit etiam alia, qvæ refert Tertullianus lib. de Idololat. & lib. de Habitu muliebri. Tertulliani* autem rigorem in defendendo hoc antediluviano *Henochi* Libro imitatur ac exaggerat *Jacobus Pamelius* Notis ad locum ejus de *Habitu muliebri* ſuprà allegatum, & *Jacobus Gordonus* in Geneſin hunc Prophetam ſcripſiſſe affirmat, licet Comment. in Epiſtolam Judæ notet,

Apoſtolum *Judam* accepiſſe hanc Prophetiam vel ex libro, qvi tempore Judæ extabat, vel certa traditione. *Serarius* in Epiſt. Jud. ſimillimum vero fieri, non modò fuiſſe aliqvem ab ipſo Enocho Librū conſcriptum, adeóq; Canonicum, ſed eundem poſt depravationem factum eſſe Apocryphum. *Petrus Martyr* Comment. in Geneſ. conqveritur Scripta Enochi periiſſe. Horum pulpita alii deſeruerunt, & in negantium caſtra tranſierunt. *Hieronymus Zanchius* Tom. 8. Operum Theol. de Sacrâ Scripturâ p. 353, negat *ab Henocho aliqvid literarum monumentis fuiſſe conſignatum, nec Epiſtolam Judæ adverſæ partis patronis favere aſſerit. Joſ. Scaliger* Not. in Euſeb. pag. 245. *librum planè eſſe commentitium cenſet, & à Judæis confictum, multáqve ex eodem cicat, ſed non ſine tædio & odio. Andreas Rivetus* Exercit. 49. in Geneſ. pag. 251. *librum hunc ſuppoſitium eſſe, & à qvibuſdam Judæis conſcriptum ſibi omnino perſvadet, qvòd in Eccleſia Dei antè Babylonicam captivitatem in nullis Prophetarum libris fiat mentio tàm rari theſauri, qvem non credibile eſt, ſi in rerum natura eſſet, Moſen latuiſſe, qvi etiam ſcriptorum Henochi meminiſſet in hac hiſtoria, ſi tunc extitiſſent. Michael Medina* de recta in Deum fide l. 6. p. verſ. 221. 220. *hanc prophetiam ſolâ traditione fuiſſe contentam credit, nullaq; ratione convinci dicit, Iudam citaſſe apocryphum librum, ſed ea qvæ fuerant à prioribus parentibus qvaſi veriſſima & certiſſima traditione ſuſcepta. Rationem addit, qvia Gelaſius in conſilio Romano recenſet apocryphos libros, hujus Enochi libri non meminit. Ioannes Marius* SCRIBONIUS Sermone XVII, in Epiſt. Judæ p. 259. edit Pariſ. 1634, arbitratur *Prophetiam hanc per Traditionem ab Enoch ad poſteros fuiſſe traductam, & non ex aliqvo libro fuiſſe citatam.* His accedit *Paræus* Comment. in Geneſin, *Iunius* Tom. 1. operum pag. 1298. Comment. in Epiſt. Judæ. *Qviſtorpius* Not. in eandem. Deniqve alii ſunt, qvi neutri parti vel ſuffragantur, vel adverſantur. *Lutherus* in Geneſin pag. 78. recitatis verbis Apoſtoli Judæ, citantis Prophetiam Henochæam, mox ſubdit: *Unde hæc habuerit Iudas ignoro, ſed veriſimile eſt, manſiſſe in hominum memoria, ceu per traditionem Patriarcharum ſancte tum dicta, tum facta, fortaſſe ſcripſerunt qvoqve. Chriſtophorus Pelargus* in Geneſin propoſitâ utriuſqve partis ſententia, rem in medio relinqvit, ſuamq; non interponit κελίσιν. *Georgius Roſtius* Comment. in Epiſt. Judæ pag. 133. edit. cit. ſcribit, *parum referre ſive Iudas ex aliqvo ſcripto, ſive ex veteri habuerit traditione.* In horum caſtra tranſiit *Beza* Annot. in N. T. nihil certi definiens. *Joh. Prideaux* Exonienſis Collegii Rector, &

S. Th.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

S. Th. Prof. Regius, in Oratione inaugurali de ſapientia Ægyptiorum concione 1. pag. 4. edit. Oxon. 1648. ſcribit: *Sunt qvi Enochi etiam Prophetiam ante diluvium conſcriptam & à Noacho in arca conſervatam fuiſſe aſſerunt, qvam qvidem vidiſſe & legiſſe Tertullianus & alii Patres confitentur, utcunq; in cenſu Apocryphorum à Gelaſio Diſt. 15. Can. S. Romana habeatur. Sed his non ulteriùs immorandum. Lucas Oſiander, Cornelius a Lapide, Jac. Gordonus, Tirinus, Menochius* dubitant, an *Judas* e traditione acceperit hanc Prophetiam, an v. ex Libro. *Benedictus Juſtinianus Genuenſis* etiam in aliorum ſententiis afferendis totus occupatus nihil definit, qvod & *Willeto* in Hexap. accidit.

Nodum hunc tergeminô variæ auctoritatis nodô conſtrictum enodaturi tantò majorem adhibebimus induſtriam, qvantò parciores ac inconſtantiores in hoc difficili argumento pertractando complures fuiſſe conſtat. Noſtram verò ſententiam paucis *Aſſertionum* cancellis includemus.

ASSERTIO PRIMA.

EXtra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, extitiſſe aliqvando aliqvod ſcriptum Henochæum.

Etenim niſi extitiſſet, neutiqvam illud ad partes vocâſſent tot Patres Græci pariter ac Latini, *Origenes*, *Auguſtinus*, *Tertullianus*, *Hieronymus*, *Clemens Alexandrinus* ἐκ τῶν Προφητικῶν Eclogis, qvæ Stromatum libro 8. annectuntur, & qvidem pag. Græci textus 578. edit. Lugdun. Batavorum 1616, aliiqve conplures. In primis autem familiari *Henochæi* voluminis auctoritate ſuperbit Liber ille vulgaris, qvi vernaculâ Lingvâ apud nos Danos editus Anno 1601 typis Waldkirckianis inſcribitur *Teſtamentum duodecim Patriarcharum Iacobi filiorum*. Hoc licet *Origenes* & *Procopius Gazæus* citent, tamen nec Jacobi nec duodecim filiorum ejus opus eſt, ſed *Rabbini* cujuſdam fœtus, Hebræo primùm idiomate conceptus. Vertit autem *Robertus Groſſeteſtus, Lincolnienſis Epiſcopus*, & Athenienſi civitate donatum edidit Anno 1242. Hujus Scripti Inventor citat Librum *Henochi* in Teſtamentu *Simeonis*, *Levi*, *Zebulonis*, *Nephtali*, *Dani*, &c. Sed veri Teſtamenti nulla vola aut veſtigium apparet in hoc Teſtamento, qvod duodecim Patriarcharum nomen oſtentat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

tat. Nam Teſtamentorum poſt ultima Teſtatorum fata maximus vigor. Διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεβαία Hebr. 9. 19. In hoc autem Patriarchali Teſtamento nihil firmi, nihil rati. Rimarum nugacium plenum eſt, hàc atqve illàc perfluit mendaciis. Horum unum & alterum modò indigitâſſe ſuffecerit, exinde de reliqvis facilè conſtabit, ea vix titivillitiô redimenda. *Gaddus* inter alia ſuos filios ita alloqvitur: *Natus ego* 40 *annos & in monte oliveti conſtitutus oculos converti in orientem verſus Ieruſalem, & ibidem vidi Solem ac Lunam curſum ſtitiſſe. Dixit autem nobis avus noſter Iſaacus: Feſtinate, pro virili qviſqve veſtrûm viſa apprehendat. Manibus enim Sol & Luna prehendi & teneri poſſunt. Qvantò ociùs fieri potuit, accurrimus, Solem Levi, Iudas autem Lunam apprehendens tenuit, eorumqve alis ſubvecti in ſublime ferebantur. Levi ad inſtar Solis ſplendenti* 12 *oleagineos ramos juvenis qvidam donavit. Judas verò candorem Lunæ imitatus duodecim ſtellas pedibus ſuis habuit ſubjectas. Concurrentes Iudas ac Levi, mutuô corporis libramine ſe ſuſtentârant. Mox bos e terra aſcendit, prægrandibus cornibus formidabilis, alis aqvilinis tergora tectus. Hunc cum curſu aſſeqvi & tenere tentaremus, fruſtrà fuimus. Sed Ioſeph nos antevertit, illum cepit, & aëra unà cum illo petiit.* Et mox ſubdit novam fabulam: *Exactô* 7 *menſium ſpaciô vidi patrem noſtrum Iacobum in mari Iamne ſtantem, præſentibus filiis. Ecce autem navis gubernaculô & malô deſtituta ac ſiccatis carnibus onerata plenis velis ferebatur. In hac tale extabat epigramma: NAVIS JACOBI. Conſcenſa nave, unà eurúſq; notúſq; ruunt, timidiſq; procellis montes volvuntur aqvarum. Parens autem noſter gubernaculum qvoddam manu tenens fugâ ſibi conſuluit, nos verò tempeſtuoſis undarum voluminibus ſurſum deorſum acti tandem in mare præcipitamur, nave jam ſubmerſâ aqvis & in partes diſſiliente. Ceterùm in ſcapham deſcendens Ioſeph in ſola fuga vitæ præſidium collocavit. Nos verò decem tabulis ſuperinjecti toto dividimur mari, ſolis in tanto deſcrimine conſociatis Iuda & Levi.* Sed ohe! nugarum ſaturi ſumus, qvibus ſcatet confictum hoc Teſtamentum, ad qvod confirmandum *Enochi* Liber magnas vires opéſqve confert. Sed verò hoc 12 filiorum *Iacobi* Teſtamentum haut majorem meretur auctoritatem, qvàm ejuſdem *Patriarchæ Scala.* Ita enim inſcribitur *Volumen Iacobi* nomine fucatum, ſed familiare qvondam Ebionitis, in qvo *Iacobus* fingitur expoſuiſſe inſomnium *Scalæ* a ſe viſæ, atqve detorſiſſe in Judæos, Templum, & Judaica ſacrificia, teſte *Epiphanio* lib. 1. Panar. in refutatione Ebionitatum. Hoc Scriptum non dignum literis aut

char-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

chartis, nedum ſacro Canone. Jure etiam æqviſſimo *Gelaſius* Diſtinct. 15. *Teſtamentum Jacobi Patriarchæ*, Scriptum ejuſdem farinæ Apocryphis adjudicat. Sic uni Patriarchæ non unus fœtus ſupponitur, ſed tergeminus, dignus qvô piper amiciatur, aut qvi blattis & tineis eſca fiat.

ASSERTIO SECUNDA.

HEnochi Scriptum Canonicā auctoritatem neutiqvam meretur, dignum qvod non tantùm ad Apocryphorum Librorum ima ſubſellia detrudatur, ſed etiam inter commentitiarum & mendacium fabularum qvisqvilias humi abjectum jaceat.

Qvoniam hæc *Secunda Aſſertio* binis membris conſtat, binis etiam probationum generibus confirmanda erit. Utraq; pars *Auguſtinum* propugnatorem nacta eſt. Hic enim l. 15. c. 23. p. 183. ed. cit. de Civitate Dei ad Marcellinum: *Omittamus igitur*, inqvit, *earum Scripturarum* fabulas, *qvæ* Apocryphæ *nuncupantur, eò qvòd earū occulta origo non claruit patribus, à qvibus usq; ad nos auctoritas veracium Scripturarum certiſſima & notiſſima ſucceſſione pervenit. In his autem* Apocryphis *etſi invenitur aliqva veritas, tamen propter multa falſa nulla* eſt Canonica auctoritas. Scripſiſſe qvidem *nonnulla divina Enoch illum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, cum hoc in Epiſtola* Canonica *Judas Apoſtolus dicat. Sed non fruſtra non ſunt in eo* Canone *Scripturarum, qvi ſervabatur in templo Hebræi populi ſuccedentium diligentiâ Sacerdotum. Cur autem hoc, niſi qvia ob antiqvitatem ſpectatæ fidei Iudicata ſunt, nec utrum hæc eſſent, qvæ ille ſcripſiſſet, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qvi ea per ſeriem ſucceſſionis reperirentur ritè ſervâſſe.* Unde illa, *qvæ ſub ejus* (Henochi) *nomine proferuntur, & continent iſtas de Gigantibus* fabulas, *qvòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus judicantur non ipſius eſſe credenda, ſicut multa ſub nominibus & aliorum Prophetarum & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab Hæreticis proferuntur, qvæ omnia ſub nomine* Apocryphorum *ab auctoritate* Canonica *diligenti examinatione remota ſunt.* Duo in primis tradit *Auguſtinus* noſtro inſtituto apprimè commoda. *Alterum*, Scripta *Henochi* non eſſe in *Canone* Scripturarum, ſed *Apocryphorum* claſſi aſcribenda non minùs qvàm multa alia, qvæ ſub nominibus aliorum Prophe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

phetarum & Apoſtolorum ab Hæreticis proferuntur, inſtitutô diligenti examine, a Canonica auctoritate eſſe remota. *Alterum*, Scripturas, qvæ ſub ejus nomine proferuntur, fabuloſas eſſe, & multa falſa continere. Utrumqve *Aſſertioni* noſtræ robur conciliat, cujus ſcopus eſt oſtendere Scriptum *Henochæum* non modò *Apocryphum*, ſed etiam *fabuloſum* eſſe.

Hieronymus Comment. in Epiſt. ad Titum c. 1. pag. verſæ 122. ed. Troben. 1516. primam noſtræ *Aſſertionis* partem ſic ſtatuminat: *Qvi autem putant totum Librum* (Poëtæ profani, *Epimenidis*, *Arati*, *Menandri*, aut *Callimachi*, qvos diverſis locis nominat *Paulus*) *debere ſeqvi eum, qvi Libri parte uſus ſit: videntur mihi & Apocryphum Enoch, de qvo Apoſtolus Judas in Epiſtola ſua teſtimonium poſuit, inter Eccleſiæ Scripturas recipere.* Qvô factum eſt, ut *Origenes Apocryphorum* Libellorum nomen *Henochi* oſtentantium auctoritate uſurus, adeo ſibi timuerit, ut nomina ſtellarum ex eis promere haut auſus fuerit. De qva re ipſum *Originem* audiamus loqventem Homil. 28. in lib. Numer. p. 178. edit. Pariſ. 1519: *Qvi fecit multitudinem ſtellarum, ut ait Propheta, omnibus iis nomina vocat: de qvibus qvidem nominibus plurima in Libellis, qvi Enoch ſecreta continent, & arcana appellantur, ſed qvia Libelli ipſi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi, interim nunc ea, qvæ ibi nominantur, in exemplum vocare differamus.* Viden', *Origenis* teſtimonium deprehenditur cauti plenum timoris animo ejus incuſſi a veneranda auctoritate Canonis Scripturarum apud Hebræos, qvem conſtituebant Volumina Sacra in templo Jeruſolymitano, qvamdiu ſtetit, jugi Sacerdotum in Liturgia ſibi ordine ſuccedentium fideli cuſtodia & ſingulari divinæ Providentiæ munere conſervata in perpetuam poſteritatis ſecuritatem. Tantâ tamen confidentiâ & ingenuitate hos *Henochi* Libellos *Apocryphos* pronunciare non audet, qvantâ *Hieronymus* & *Auguſtinus*. Hi enim diſertis verbis *Apocryphum* eſſe Librum *Henochi* confitentur: *Origenes* verò *primò* qvidem non qvid ipſe ſentiat, apertè edicit, ſed Hebræorum mentem affert impugnaturus auctoritatem Libellorum Sanctô *Henochi* nomine inſoleſcentium. *Secundò*, non apertô Marte hoc agit, ſed velut poſt principia latens, elabendi rimam indefinitâ voculâ (*videntur*) ſibi aperit. Dilucidiùs tamen, qvàm reliqvi duo, docet, nomina ſtellarum, & alia arcana in Libellis Henochi fuiſſe tradita, qvæ calamo cautiore prodere differt Origenes. Qvænam verò fuerint illa arcana, in primis e cœli ac ſtellarum contemplatione cognita,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

paucis lineis ſubinnuit *Clemens Alexandrinus* Præceptor *Origenis*, teſte *Hieron.* in Eccleſ. ſcriptor. Hic enim ex *Eclogis* τῶν Προφητικῶν, qvæ unà cum Epitomis *Theodoti* & doctrinæ dictæ Orientalis tempore Valentini, appendices ſunt VIII Libri Stromatum *Clementis Alexandrini* hæc verba habet pag. 578. edit. Heinſ. & Commel. Lugdun. Batavorum 1616: Ἤδη γὰρ καὶ Ἐνὼχ φησὶν, τοὺς παραβάντας ἀγγέλους διδάξαι τοὺς ἀνθρώπους ἀστρονομίαν καὶ μαντικὴν, καὶ τὰς ἄλλας τέχνας: *Nunc verò etiam Enoch dicit, qvòd angeli transgreſſores docuerint homines Aſtronomiam, Divinatricem, & alias artes.*

Qvænam verò & qvales illæ ſint artes, qvodnam ſit uberius argumentum Libri *Henochæi*, an ſit qvantivis pretii Scriptum, cujus *Fragmentum* nunc circumfertur, ſi ſcire aveas, neceſſe eſt oculô tantùm emiſſitiô luſtres ἀποσπασμάτιον, qvod ex primo *Henochi* Libro *ſupereſt*. Nos autem ut curioſorum Lectorum deſideriis ſatisfaciamus: ecce ad vetuſtum *Fragmentum* primi Libri *Enochi* eos amandatos cupimus, qvod *Scaliger* Annotationibus ſuis in *Euſeb.* inſeruit, & qvod vaſtæ eruditionis vir *Athanaſius Kircherus* latinitate donatum affert in ſplendidi operis, *OEdipi Ægyptiaci* Gymnaſ. Hieroglyph. Claſſ. 2. Gram. c. 2. § 4. p. 69. Qvoniam verò *Euſebium Scaligeri* in Bibliopoliis multis fruſtra jam qvæſiveris, atqve opus Kircheri, qvod ut maximô labore auctori conſtitit, ita ingenti ſumptu nunc proſtat, Romæ qvippe tribus tomis editum maj. fol. 1652, multorum vota videtur fruſtrari, qvi in remotas ſeptentrionis oras Româ longiùs diſſiti, qvàm ut ad eorum manus a Latio ob loci diſtantiam commodè ac ſine magno impendio, cui non eſt ferendo nonnullorum ὀλιγοχρυσία, poſſit deportari: nos habitâ majorum ſumptuum ac diſtantium locorum ratione, publicis oculis ſubjungemus aliqvam Codicis Henochæi partem Latinam *Kircheriani* exemplaris interpretationem in primis ſeqvuti.

FRAGMENTUM EX PRIMO LIBRO ENOCHI,

De Egregoris.

ET factum eſt, cùm multiplicati fuiſſent filii hominum, natæq; ipſis filiæ pulchræ & decoræ, ut earum amore flagrarent *Egregori* (ſcilicet

Angeli;) & unus alterum ſeduceret, inter ſe ita loqvuti: Eligamus nobis uxores è filiabus hominum terræ. Et dicit Semiexas princeps eorum ad ipſos; timeo hoc eas facturas, & ero ego ſolus reus maximi peccati. Et reſpondebant omnes dicentes: Jurabimus omnes, & mutuo anathematis jurejurando obligabimus nos a datâ fide non receſſuros, donec omnia compleverimus. Tunc omnes juramentô præſtitô ſe obligârunt. Erant autem 20, qvi aſcendentes in diebus Jared ſummitatem montis Hermoniim, qvem a jurejurando ita appellârunt, ibi fœdere per juramentum inito, ſe invicem obſtrinxerunt. Nomina a. Principum ſunt ſeqventia.

1. *Semixas Princeps eorum.*	11. *Pharmarus.*
2. *AtarKuph.*	12. *Amariel.*
3. *AraKiel.*	13. *Anagemas.*
4. *Chababiel.*	14. *Thauſael.*
5. *Orammame.*	15. *Samiel.*
6. *Rhamiel.*	16. *Sarinas.*
7. *Sapſich.*	17. *Eumiel.*
8. *ZaKiel.*	18. *Tyriel.*
9. *BalKiel.*	19. *Iamiel.*
10. *Azalzel.*	20. *Sariel.*

Sic & reliqvi omnes anno 1170 Mundi, acceperunt ſibiipſis mulieres, & incœperunt contaminari in ipſis uſq; ad diluvium, pepereruntq; ipſis tria genera (hominum). Primũ genus erant *Gigantes* magni; *Gigantes* autem generabant *Naphilim* & τοῖς Naphilim nati ſunt *Eliud*; & multiplicabantur juxta magnitudinem eorum, & docebant ipſos, & fœminas eorum magiam, & incantationes, ſive artem præſtigiatricem. Primus *Exaël* decimus Principum docuit facere machæras, & thoraces, ſive loricas & omnis generis arma bellica, & metalla, id eſt, metallicam artem, & uſum auri & argenti, qvanã ratione videlicet in varios luxus uſus adhiberi poſſent; & fecerunt varia ornamenta mulieribus. Docuerunt qvoqve eas Coſmeticam artem, id eſt, fucos & ſtibii varium uſum in condecorando vultu, lapides qvoq; pretioſos; & faciebant ſibi filii hominum, fœminis, & filiabus ipſarum ſimilia; qvibus prævaricari, & errare faciebant ipſos ſanctos, & extitit impietas multa ſuper terra, & corruptæ ſunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſunt univerſæ viæ mortalium. Anteſignanus qvoq; dictorum Principum *Semiaxas* docuit eſſe * iras animi & radices herbarum terræ.

Undecimus autem *Pharmarus* nomine docuit *Magiam*, & *artem incantatricem, præſtigiarumq́; expiatoria Sacra.* Nonus autem docuit *artem deducendi* Stellas, qvartus *Aſtrologiam divinatricem*, Octavus docuit *artem divinandi per aërem*, Tertius *ſigna terræ*, Septimus docuit *ſigna Lunæ*. Omnes hi incœperunt uxoribus ſuis, & filiis earum dicta revelare myſteria. Poſt hæc incœperunt *Gigantes* veſci carnibus humanis, repereruntq́; impio hoc exterminio homines decreſcere ſuper terra. Reliqvi verò ob deteſtabilem *Gigantum* malitiam clamabant in cœlum dicentes petenteſq́; coram eo ſuſcipi memoriam eorum. Audientes autem qvatuor e majoribus Archangelis, *Michael* videlicet, & *Raphael*, & *Gabriel* & *Uriel*, e ſupremo cœlorum habitaculo terram inſpiciebant, contemplanteſq́; ſangvinem multum effuſum ſuper terram, & omnem impietatem & iniqvitatem, qvæ fiebat ſuper eâ, egredientes ad invicem dixerunt; ecce Spiritus, & animæ hominum afflictione, oppreſſioneq́; ſuſpirantes clamant ad nos ut petitiones perditionemq́; ipſarum ad altiſſimi thronum deferamus; procedenteſq́; hi qvatuor Archangeli dixerunt Domino.

Tu ô Deus Deorum, & Dominus dominantium, & Rex regnantum Deúsq; hominum, Thronusq́; gloriæ tuæ in omnes ſæculorum generationes, & nomen tuum Sanctum & benedictum in omnia ſæcula.

Tu enim omnia creaſti, in omnibus poteſtatem poſſidens, cujus conſpectui omnia nuda ſunt, & aperta, omnia videns, nec eſt, qvi ſe a te abſcondere poſſit. Vides qvanta mala faciat *Exaël*, qvanta introducat, & qvanta doceat peccata atq; iniqvitates ſuper terra, & qvòd nil niſi dolus ſuper arida. Docuit enim myſteria, & manifeſtavit ſæculo ea qvæ ſunt in cælo, conanturq́; omnibus modis ejus inſtituta & myſteria cognoſcere. Filii hominum *Semixæ* poteſtatem dederunt eorum, qvi cum ipſo ſimul erant, & ibant ad filias hominum terræ, & dormiebant cũ ipſis, & polluebantur in virginibus puellis, & iis manifeſtabant omnia peccata, & docebant ipſas facere inſtrumenta fornicationis. Et nunc vide, filiæ hominum gignunt ex iis filios *Gigantes*. Adulterinum, ſuppoſitiumq́; genus hominum ſuper terram diffuſum, totum univerſum iniqvitate replevit. Et nunc ecce Spiritus animarum defunctorum hominum interpellant, & uſqve ad cœlos aſcendit gemitus eorum, neq; poteſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

venire & pertingere ob enormes qvæ in terra accidunt iniqvitates. Et tu hæc ſcis ab ipſis fieri; & vides ipſos, & ſinis pateriſq; ipſos, neq; dicis qvid oporteat facere, aut qvod remedium tantorum malorum. Tunc altiſſimus dixit, & Sanctus magnus locutus eſt, & miſit *Uriel* ad filium Lamech dicens: Abi ad Noë & dic ipſi meo nomine: Abſconde teipſum, & manifeſta ipſi finem rerum omnium inſtantem, & qvòd tota terra perdatur. Et dices ipſi, qvòd diluvium univerſæ terræ futurum omnia qvæ ſuper facies aridæ ſunt, diſperdat. Inſtrue juſtum, qvid facere oporteat filium Lamech. Et anima ipſius in vitam conſervabitur, & effugiet mortem per æternum, atqve ex illo plantabitur planta, qvæ conſiſtet in omnes generationes ſæculorum. Et *Raphaëli* dixit: Vade *Raphaël*, & Exaëlem manibus & pedibus vinctum projice in tenebras; aperies qvoq; Eremum exiſtentem in Eremo *Dodoël* & illuc vadens projice eum, ſuppoſitis ipſi ſaxis acutis & aſperis, operies eum tenebris, & habitet ibi in perpetuum. Et aſpectui illius oppones operculum, ne lumen unqvam appareat, & in die judicis revocatus in judicium, incendio ignis deſtinabitur: & ſanabitur terra, qvam corruperant, & labefactaverant *Egregori*; medelam autem terræ manifeſta, ut curetur terra à plaga ſua, & non pereant omnes filii hominum, qvæ dicta ſint in myſterio qvod dicebant *Egregori*, & docebant filios hominum; & deſolata eſt univerſa terra in operibus inſtructionis *Exaël*, & ex ipſa exarata ſunt omnia peccata. Ad *Gabrielem* vero dixit: Vide *Gabriel* ad *Gigantes*, ad adulterinos, & falſarios filios fornicationis, & perdes filios Ἐγρηγόρων a filiis hominum, committes ipſos ad invicem in bellum, & ultimam perditionem, & exterminium; & longitudo dierum neqvaqvam attingat dies patrum ipſorum, qvi ſperabant vivere vitas ſempiternam, & qvod unuſqvisqve eorum non ampliùs, qvàm centum annis victurus ſit. Et ad *Michaelem* dixit: vade *Michael*, alliga *Semixan*, & omnes aſſeclas ejus, qvotqvot commiſti filiabus hominum polluerunt, contaminaveruntq; eas in immunditia eorum; & cum jugulati fuerint filii eorum, & cognoverint perditionem dilectorum ſuorum, alligabis eos in 70 generationes in abdita terræ loca uſq; ad diem ipſis in judicium producendis deſtinatum, diem conſummationis rerum omnium, diem qvo terminabitur judicium ſæculi ſæculorum. Tunc præcipitabitur in Chaos ignis, & in tormentum, & in carcerem concluſionis æternæ; & cum con-

condemnati fuerint, unà cum ipſis projicientur uſqve ad conſummationem generationis eorum. *Gigantes* autem nati, a Spiritibus & carne, Spiritus maligni in terrâ vocabuntur, ut ſit habitatio eorum ſuper terra. Spiritus maligni erunt, Spiritus egreſſi a corpore & carne ipſorum, partim ab hominibus, partim ab *Egregoræis* geniti. Principium creationis eorum & initium fundamenti illorum Spiritus maligni erunt ſuper terra. Spiritus autem *Gigantum* diſtributi, injuſti, deſtruentes, invadentes, colluctantes, jaculantes ſuper terram, & curſus facientes: neq; tamen comedunt; ſed cibo abſtinentes ſunt, & variis phantaſmatis illudentes, ſitientes & impingentes; & Spiritus reſurgent cum filiis hominum, & mulierum, qvi proceſſerunt ab eis. A die verò cædis & perditionis, mortiſq; *Gigantum*, *Naphilim* fortes & robuſti ſuper terram, magni & famoſi, Spiritus egreſſi ab animâ eorum, velut ex carne, erunt corrumpentes uſqve ad judicium magnum. In qvô Æon ſive ſæculum magnum ſimul torminabitur. Circa montem verò in qvo jurârunt, etiam juramento & invicem obſtrinxerunt, ut in perpetuum non deſiſtat ab eo frigus, nix, pruina, & ros, neqve deſcendat in ipſum niſi in maledictionem deſcenderit in ipſum, uſqve ad diem judicii magni; & in illo tempore comburetur, & terræ adæqvabitur, & contabeſcet liqveſcetq; ſicut cera a facie ignis, ita conſummabitur deſtrueturq; cum omnibus operibus eorum.

Vobis verò filiis hominum dico, magnâ irâ excandeſco in vos & in filios veſtros; & perdentur dilecti veſtri, & morte morientur chari veſtri à facie univerſæ terræ. Et omnes dies vitæ ipſorum abhinc uſq; in futurum non erunt plures qvàm 120. anni; neqve vobis perſvadeatis ultra vivere; nunc verò non erit ipſis via evadendi iram, qvâ in vos exarſit Rex omnium ſæculorum: ne putetis qvod effugietis ea.

EXPLICIT FRAGMENTUM HENOCHÆUM.

Hoc *Fragmentum* fragilius eſt, qvàm ut aut veritatis aut pietatis grave pondus ſuſtineat. Etenim non tantùm leviſſimarum nugarum, putidorum mendaciorum plenum eſt, ſed nocentiſſimo magicæ impietatis venenô penitùs imbutum. Sit igitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ASSERTIO TERTIA.

APoσπασμάτιον hoc e Libro primo Henochi adhuc reſiduum, neutiqvam divini Prophetæ Henochi genuinum & antiqvum opus eſt, nedum Noachiani extemporalis Spiritus adoptivus fœtus, ut Tertullianus opinatur, ſed hominis cujuſdam audacis & mendacis vel plurium poſtdiluvianus abortus.

Qvemadmodum ex ungve tanqvam particula totum Leonem cognoveris, ita e particulari hoc *Fragmento* de toto *Henochi Libro* judicare facilè poteris, optime Lector, cujus ſit veritatis & qvantæ auctoritatis, adeóqve qvodnam robur ad confirmandam Antediluvianorum Scripturam e tali Scripto collatum iri, haut difficulter cognoſces, modò nonnulla monſtroſi hujus partus vitioſa membra ad vivum reſecueris. Nos in ſpem tuæ gratiæ, benigne noſtrorum laborum interpres, paucula qvædam vitia hujus monſtri præmonſtrabimus, qvoad liceat per officii publici curas & operarum typographicarum feſtinationem, ſub qvarum prælo nunc hæc infauſta ſoboles gemit: cetera tacito ac prudenti tuo ſcrutinio relicturi.

PRIMUM & facilè princeps vitium hujus ſuppoſititii fœtus eſt, qvòd *Egregori* ſeu *Angeli* vel *Principes*, in Græco exemplari Ἐγρήγοροι ϗ ἄρχοντες dicti, non modò efflictim deperire cœperint venuſtas hominum filias, ſed etiam ſollemni juramenti, imò mutui anathematis religione ſe obſtrinxerint *tempore Jared* ad exercendas fœdas libidines, & alia facinora perpetranda. Etenim, ſi tale qvid commiſſum fuiſſet ab angelis, neutiqvam id tanqvam memorabile Scriptura tacuiſſet. *Moſes* autem diſertis verbîs hoc tribuit non *Egregoris* ſeu *Angelis*, ſed בְּנֵי — הָאֱלֹהִים *filiis Dei*, qvi veri Dei cultores habiti ſunt tempore primi mundi Gen. 6. v. 2. *Simpliciter*, inqvit Luth. Comment. Geneſ. p. 83. verſ. *Filios Dei vocat Patriarcharum filios, qvibus data erat promiſſio ſeminis benedicti & erant vera Eccleſia.* Id qvod clariùs ac fuſiùs exponit *David Rungius* Com. in Geneſ. cap. 6: *Dicuntur filii Dei hoc loco cives veræ Eccleſiæ ex poſteritate Seth eo Enos nati, qvorum initiò religioſa in Deum pietas, ſimplicitas & integritas fuit.*

Deinde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Deinde verò ducti admiratione rerum mundanarum, qvibus excellebant Cainitæ, paulatim cum eis familiaritatem & commercia exercuerunt, donec tandem contractis matrimoniis & confuſis familiis ex duplici Eccleſia, hypocritica & vera, facta eſt una, unuſq; cœtus, ſed moribus corruptiſſimis, qvi projecto timore Dei impunè libidinibus & Tyrannide graſſatus fuit. Sed, inqvis, LXXII interpretum Codices nonnulli legunt, ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, uti notat *Procopius*. Sed perperam. Nam non paucarum & rectarum mentium depravata hujus loci lectio obvium extitit decipulum. Eqvidem *Auguſtinus* lib. 15. de Civ. Dei cap. 23. hâc prava lectione aut primùm deceptus aut valde confirmatus hybridos iſtos fœtus, Gigantes ſc. ex Angelis malis & mulieribus procreatos docuit, atqve ſic pravæ ſententiæ & erroris ſe etiam participem reddidit, qvi complures Patres effaſcinavit. Verba ejus dictô locô ſic ſonant: *Verùm movet qvoſdam, qvòd ex illis, qvi dicti ſunt angeli Dei, & ex mulieribas, qvas amaverunt, non qvaſi homines generis noſtri, ſed Gigantes legimus eſſe natos.* Et poſtea: *Cùm enim præmiſſum eſſet, qvod videntes Angeli Dei filias hominum, qvia bonæ ſunt, ſumpſerunt ſibi uxores ex omnibus, qvas elegerant. Et Septuaginta qvidem Interpretes &* angelos Dei *dixerunt iſtos, &* filios Dei: *qvod qvidem* non omnes Codices *habent: nam qvidam niſi,* filios Dei, *non habent.* Qvæ vera lectio eſt, & primigenio Hebræorum voluminum textui conveniens. Vitiatam autem & impuram fuiſſe LXXII Verſionem Græcam *Hieronymi* & *Auguſtini* ævô, ipſe *Hieronymus* Præfat. in Paralip. ad *Chromatium* teſtatur his verbis: *Si,* inqvit, pura *eſſet* Editio Septuaginta Interpretum, *qvalis ab illis in lucem edita fuit, ſuperfluè me rogares, ut Hebraica volumina tibi in lingvam Latinam transferrem.* Extabant etiam illô ſæculô diverſorum emendatorum biblicorum Græca exemplaria, puta, *Origenis*, *Luciani Martyris*, *Heſychii*, & ipſius *Hieronymi*, in qvibus deſcribendis facilè error incuriâ exſcribentis potuit accidere. Ceterùm mentem *Auguſtini* in hoc Geneſeos loco qvod ſpectat, hanc eſſe exiſtimamus, qvòd qvidam Codices utramq; lectionem habuerint, ἄγγελοι καὶ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ; cujus tamen prima dictio nonnullis Codicibus intorta eſt, unà cum particula copulativa, uti opinari licet, ab audaci cujuſdam calamo, qvi hunc errorem, de nefaria *Egregororum* ſeu *angelorum* cum ſeqviore ſexu corruptæ ætatis antediluvianæ conſvetudine atqve inde nata hybrida ſobole, partim angelica, partim humana, vanas Judæorum fabulas ſeqvutus, imbibit. Eqvidem Judæi primùm qvidem heic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

heic cæcutiverunt, in periculoſi erroris foveam præcipitati, ſed non ſoli; Chriſtianos mox Doctores tanqvam ſui ſeqvaces errones in mutuum diſcrimen adduxerunt. Rabbinicæ autem Synagogæ hanc fuiſſe opinionem, adeóqve Scriptum, qvod ſplendidum Sancti Patriarchæ *Henochi* nomen mentitur, hypobolimæum fœtum eſſe Rabbini alicujus vel plurium de facili ei conſtabit, qvi intra Judaicæ Synagogæ adyta admiſſus ejus monumenta & Peruſchica Scripta diligenter evolverit.

Grande robur huic ſententiæ accedit e loco, qvem invenimus in Commentario *Rabbi Schelomoh Iarchi*, in cap. 13. Num. ℣. 34. cujus hæc ſunt verba:

הנפילים׳ ענקים מבני שמחזאי ועז״א שנפלו מן השמי׳ בימי דור אנוש:

Hannephilim (Gigantes) *ſunt Anachim* de filiis *Samchaſai* & *Uſiel*, *qvi e cœlis deciderunt tempore Enoſchi.* Huic jungatur *Ionathan Paraphraſtes Chaldeus* in verſ. 4. Gen. 61. qvi, referente Druſio, Gigantes angelos fuiſſe opinatur, qvos a cadendo *Nephilim* dictos putat, *qvod videlicet e cœlo deciderint. Samchaſai*, inqvit, & *Azael ceciderunt cœlis & erant in terra in diebus illis.*

Ecce duo in primis *Angeli* numerantur, qvos Judæi fabulantur conſvetudine feminei ſextis uſos eſſe primâ ætate ante diluvium, qvando genus hominum cœptum eſt multiplicari. Qvo factum eſt, ut הנפילים hoc eſt, Gigantes iſti primi ſæculi homines, qvi non minùs inuſitata corporis vaſtitate, qvàm virium indomito robore formidandi extiterant, judiciô qvorundam Magiſtrorum Judaicorum, hos *Angelos Patres* habuerint. Hebræorum alii memorant, ut tradit *R. Aqvila* in *Habdala*, & in *Medras Ruth*, *Aza & Azael* e cœlo delapſos cum filiabus perditi ac numeroſi ſæculi conſveviſſe, indeq; *Gigantes* natos eſſe, qvæ lectio *Mercero* placuit Com. cap. 6. Gen. v. 2. *Druſius* Not. ad *Sulpicium*, tertium *Angelum* e libr. *Iochaſin* addit, nempe, *Machaſaelem*, qvi narratur rem habuiſſe cum uxore Chami ſub diluvii tempus: unde natus ſit Sihon. Et relatum accepimus in Libro pervetuſto *Hazoar*, dictos Angelos, qvos *filios Dei* auctor libri vocat, conſvetudine uſos Naamæ ſororis TubalCain, ex ea genuiſſe dæmones, qvos *Sedim* appellant, & ſpiritus malos, qvi nunc in mundo. R. Eliezer in Pirke cap. 22. p. 49. 50. edit. Vorſt. idem confirmat his verbis: *Rabbi dicit*; *Viderunt Angeli, qvi exciderunt è cœlo, loco ſuo*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſuo ſancto, filias Caini ambulantes in nuditate carnis, & fucantes oculos ſuos inſtar ſcortorum, atqve vagati ſunt poſt illas, atq; ſumpſerunt ex illis uxores, prout dicitur: Viderunt filii Dei filias hominum. *R. Joſva filius Karcha ait: Angeli ſunt ignis flammarum, juxta illud: Qvi facit miniſtros ſuos ignem flammantem. Venit autem ex coitu ignis in carnem & ſangvinem, neqve combuſſit corpus. Sed tempore illo, qvo ceciderunt e cœlo loco ſanctitatis ſuæ, robur atqve ſtatura eorum facta eſt inſtar hominum, & veſtimentum eorum fuit ramentum pulveris, ſicut dicitur:* Induit caro mea vermes, & ramenta pulveris. Hæc Eliezer.

QVamvis autem adeo inficeta ſint hæc Rabbinicarum opinionum commenta, ut ſanctiores mentes ab iis meritò abhorrere & potuerint & debuerint: ſiniſtrô veritatis fatô contigit, ut complures Sanctorum Patrum philtrô recutitæ hujus Fabulæ ſint effaſcinati. Veluti verò unius Palæſtinæ finibus contineri haut potuit luxurians error, ſed in Græciam, Latium aliasq; regiones, noxias ſuas propagines latiùs diffudit: ita non uni tantùm Patrum ſæculo nocuit, verùm pluribus eruditorum ætatibus: cum labentibus annis crevit eundo a primis naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ antiſtitibus ad ſubſeqventium temporum eccleſiaſticos Doctores. Id qvod propriis ipſorum teſtimoniis promptum erit docere, ubi priùs geminam Judæorum, qvi Græcè ſcripſerunt, auctoritatem attulerimus, qvæ haut exiguam propagando monſtroſo errori anſam qvondam ſubminiſtraverat.

Philo lib. de Gigantibus ſic ſcribit: *Viderunt* Angeli Dei *filias hominum, qvòd eſſent pulchræ, & acceperunt ſibi ex omnibus, qvas elegerant. Qvod alii Philoſophi* Genios, Moſes *ſolet vocare* Angelos. *Hi ſunt animæ volitantes per aërem. Nec eſt, qvòd qvisqvam hoc fabuloſum exiſtimet. Joſephus* libro I. Antiq. c. 4: *Multi* Angeli Dei *cum mulieribus congreſſi progeniem procreaverant inſolentem, & fiduciâ roboris omne jus ac fas contemnentem; qvorum facinora non abſimilia his, qvæ de Gigantibus Græci memorant, poſteritati ſunt tradita.*

Oſtendimus primos fontes hujus Fabulæ de mixta generatione, Judæos fuiſſe, ſed non illimes, nec limpidis aqvis nitentes: nunc turbidos ex iis in Patrum Scripta deductos rivos, atqve exinde in noſtri ſæculi monumenta lutulentos derivatos vanitatum canales, Deo juvante, oſtenſuri. Ceterùm, veluti in multis aliis malè geſtis Judæi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

אֹתִי עָזְבוּ מְקוֹר מַיִם חַיִּים לַחְצֹב לָהֶם בֹּארוֹת בֹּארֹת נִשְׁבָּרִים
Dereliqverunt fontem aqvarum viventium, & אֲשֶׁר לֹא יָכִלוּ הַמָּיִם׃ *foderunt ſibi ciſternas, ciſternas confractas, qvæ non continent aqvas* Jerem. 2, v. 13: pari conatu, ſed valde infelici heic miſſis Fontibus Iſraelis vivis, qvos primigenius ſacrorum voluminum textus oſtendit, ciſternas claræ veritatis vacuas & fabularum plenas elegerunt & imbiberunt, aliiſqve imbibendas propinârunt. Neqve primoribus tantùm labris pitiſſando id egerunt, ſed plenô, imo mutuô qvaſi gutture hunc cœcutientis Synagogæ errorem hauſiſſe videntur Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores. Qvos ſi in numerato habere diſcupias: adi *Pamelium Tertulliani* Interpretem, qvi recitaturus *Paradoxa* ejuſdem cum ſuo antidoto, ſic eos recenſet, ut *Tertulliano* ſuo primum in iſta claſſe locum aſſignet.

Ut confirmet primum Paradoxon *Tertulliani* de Angelis deſertoribus, qvi duxerunt filias hominum, ex eo citat hos Tomos, Libros, hæc Capita. Tom. 2. lib. de Idolol. c. 2. n. 47. Libr. de Habitu muliebri c. 2. n. 17. lib. de Cultu Femin. c. 10. n. 56. & lib. de Velandis Virgin. c. 7. n. 52. Tom. 3. lib. 5. adverſ. Marc. c. 18. n. 291. Hunc tamen excuſat, qvòd nec ſit primus, nec poſtremus hujus Paradoxi Auctor. Nam ante eum hoc erroneum dogma proſeminârunt *Joſephus*, *Juſtinus Martyr* Apol. utraqve, *Athenagorus* in Apol. *Clemens Alexandrinus* libro 3. & 5. Stromat. Poſt eum *Lactantius* lib. 2. Inſtit. divin. c. 15. *S. Cyprianus* lib. de Diſcipl. & Habitu Virg. num. 54. *Euſebius* libro 5. Evang. Præpar. & Method. Serm. de Reſurrect. Omiſit a. *Pamelius*, cetera induſtrius, *Irenæum*, *Ambroſ. Arnob. Sulpicium*, &c. Nobis ſuffecerit bina ſaltem utriuſq; nationis teſtimonia allegare, & a Latinis ad Græcos gradatim aſcendere.

Sulpicius Severus lib. 1. Hiſt. Sacræ pag. 8. Franek. 1607. operâ *Druſii* editæ hæc narrat: *Qvâ tempeſtate cùm jam humanum genus abundaret, angeli, qvibus cœlum ſedes erat, ſpecioſarum formâ virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ ſuæ originiſq; degeneres, relictis Superioribus, qvorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt. Hi paulatim mores noxios conſerentes, humanam corrupere progeniem, ex qvorum coitu Gigantes editi eſſe dicuntur, cum diverſæ inter ſe naturæ permixtio monſtra gigneret.* *Lactantius* de ori-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

origine erroris lib. 2. cap. 15. edit. Lugdun. 1541. hanc Camerinam ceteris operoſiùs movet: *Cùm numerus hominum cœpiſſet increſcere, providens Deus, ne fraudibus ſuis diabolus, cui ab initio terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet, vel diſpergeret homines, qvos in exordio fecerat, miſit angelos ad tutelam cultumq; generis humani: qvibus qvia liberum arbitrium erat datum, præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, ſubſtantiæ cœleſtis amitterent dignitatem: ſcilicet id eos facere prohibuit, qvod ſciebat eſſe facturos, ut veniam ſperare non poſſent. Itaqve illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallaciſſimus, conſvetudine ipsâ paulatim ad vitia pellexit, & mulieram congreſſibus inqvinavit. Tum in cœlum ob peccata qvibus ſe immerſerant, non recepti, ceciderunt in terram: ſic eos diabolus ex angelis Dei ſuos fecit ſatellites ac miniſtros. Qvi autem ſunt ex his procreati, qvia neqve angeli neqve homines fuerunt, ſed mediam qvandam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta ſunt, unum cœleſte, alterum terrenum. Hi ſunt immundi ſpiritus, malorum, qvæ geruntur, autores: qvorum idem Diabolus eſt princeps.* Hæc Latinorum Patrum eximium par: nunc pari fide ac induſtria binos e Græcis Patribus teſtes adducemus. *Clemens Alexandrinus* Strom. lib. v. edit. Heinſ. Lugd. 1616. p. 401: *Oſtendimus autem in primo Stromate, Græcorum Philoſophos dici fures, qvi a Moſe & Prophetis præcipua dogmata non gratè acceperunt. Qvibus illud qvoqve adjecimus, qvòd* Angeli illi *qvibus ſuperna ſors obtigerat, delapſi ad voluptates,* enunciârunt arcana mulieribus, *& qvæcunqve ad eorum venerunt cognitionem, cùm alii celarent angeli, vel potiùs reſervarent in adventum Domini. Illinc profluxit doctrina providentiæ, & ſublimium rerum revelatio.* Idem Strom. lib. 3. pag. 329. ejuſd. ed. *Continentia eſt pecuniam deſpicere, voluptatem, poſſeſſionem, ſpectaculum magnô & excelsô animô contemnere, os continere, ratione qvæ ſunt mala vincere. Jam verò* Angeli *qvoqve qvidam cum fuiſſent incontinentes, victi cupiditate huc e cœlo deſcenderunt.*

Libri Henochæi fama tam latè olim patuit, ut ad paganos qvoqve pervenerit, qvi veritati cœleſti ſe oppoſuerunt. Qvô factum, ut *Celſus* qvondam, contra qvem octo Libros ſcripſit *Origenes*, qvi religionem Chriſtianam oppugnandam ſuſcepit, ejus teſtimoniô ſua mendacia tueri allaborârit, ad Angelorum & delicta & pœnas provocans. Hunc divinæ veritatis hoſtem ita loqventem introducit *Origenes* lib. 5. contra eundem pag. 448. edit. Genebr. Pariſ. 1619. Ceterùm verba *Celſi*, ſic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſe habent: *Omittamus ea, qvibus Magiſter eorum poteſt coargui, ſinamuſq; eum videri verè* Angelum. *Is primuſq; venit & ſolus, an etiam alii priores. Si ſolum veniſſe dicent, in promptu eſt, qvô arguantur mendacii loqventes ſibiipſis contraria. Ajunt enim & alios ſæpe veniſſe, interdum* ſexaginta *ſimul aut* ſeptuaginta, eóſqve malitiâ corruptos, ob id mulctatos eſſe vinculis ſubterraneis: *unde promanare fontes calidos, videlicet ex illorum lacrymis. Celſum* refutaturus *Origenes*, his verbis utitur dicto loco: *Qvi Judæorum literas pro fabulis habet* (Appelles Hæreticus) *docens, qvòd ſolus Jeſus ad homines miſſus ſit; multò minùs admitteret qvæ Celſus adducit* ex Libro Enochi *non intellecto. Nos igitur nemo mendacii coarguet, ut docentes inter ſe pugnantia, qvòd ſolus venerit Servator noſter, & qvòd alii multi ſæpe venerint nuncii. Qvanqvam hìc valde confusè calumniator loqvitur in hac diſqviſitione* de Angelis miſſis ad homines, *ut qvi obſcurè inaudivit neſcio qvid* e literis Enochi, *qvas nec legiſſe videtur, nec ſcire, qvòd* non magna ſit earum auctoritas in Eccleſiis: *unde fortaſſis illud ſumptum eſt*, ſexagenos *&* ſeptuagenos deſcendiſſe, eóſq; malos redditos. *Hæc Origenes* alter Græcorum teſtis, qvem ſimul ad partes vocatum iri nos recepimus. Visô hoc locô, commodùm nobis in mentem venit illius injuriæ, qvâ nonnulli *Origenem* afficiunt, dum hanc erroneam opinionem *Origeni* aſcribunt, qvi adverſario ejus debetur. Etenim *Origenes* non *angelos*, ſed *filios Dei* nominat, neqve depravato Moſis loco, qvod ex Auguſtino monitum eſt, ſuum calculum apponit, ſubjungens: *Sed interpretemur ejus dictum candidiùs, qvippe qvi videmus, qvod ille non vidit ſcriptum in Geneſi*: Viderunt filii Dei filias hominum, *qvòd eſſent pulchræ, acceperuntqve ſibi uxores ſelectas ex omnibus.* Et mox: *deinde rurſus comminiſcens & confundens, qvæ undecunqve audivit, aut ibicunqve legit, ſive inter Scripturas ſacras a Chriſtianis recepta, ſive non, ait illos qvi* ſexageni ſeptuageniq; deſcendebant punire vinculis ſubterraneis: *additq; ut* ex Enochi auctoritate, non tamen eum nominans. Hæc *Origenes.*

Nunc porrò ex occaſione hujus Moſaici loci rectè ac fontibus convenienter expoſiti ab *Origene*, & ſic ſcævo gloſſemati Judaizantium Interpretum oppoſiti, etiam ad aliorum Patrum ſinceras mentes puráſqve manus in conſervanda veri ſenſus integritate ac puritate fontis melle & favis dulciùs

Qvi fluit illimis, nitidis argenteus undîs.

Ut illud *Ovidii Naſonis* Poëtæ elegantiſſimi e libro Metamorphoſ.

lim-

limpido illi fonti accommodemus, qvi e fonte ſalutis Servatore Chriſto primùm ſcaturiens in vitam æternam ſalit, Joh. 4. 14.

Chryſoſtomus Judaicas fabulas peroſus ac divinæ veritatis ſtudiô incenſus non modò vero interpretamento niveum adjecit calculum, ſed pravo nigrum præfigit theta his verbis uſus Homil. XXII. in Geneſ. c. V. pag. 247. edit. Ducæanæ Pariſ. 1621: Ἰδόντες δὲ οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, ὅτι καλαί εἰσιν, ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ πασῶν ὧν ἐξελέξαντο. ἑκάστην λέξιν τῶν εἰρημένων σαφῶς κατοπτεύσωμεν, ἵνα μηδὲν ἡμᾶς παραδράμῃ τῶν ἐν τῷ βάθει κεκρυμμένων. Καὶ γὰρ ἀναγκαῖον τούτου τοῦ χωρίου πολλὴν τὴν ἔρευναν ποιήσασθαι καὶ ἀνατρέψαι τὰς μυθολογίας τῶν ἀπερισκέπτως πάντα φθεγγομένων. Καὶ πρῶτον μὲν εἰπεῖν ἅπερ λέγειν τολμῶσι, καὶ δείξαντας τὴν ἀτοπίαν τῶν παρ' αὐτῶν λεγομένων, οὕτω τὴν ἀληθῆ νοῦν τῆς γραφῆς διδάξαι τὴν ἡμετέραν ἀγάπην, ὥστε μὴ ἁπλῶς ὑπέχειν τὰς ἀκοὰς τοῖς τὰ βλάσφημα ἐκεῖνα φθεγγομένοις, καὶ κατὰ τῆς ἑαυτῶν κεφαλῆς τολμῶσι λέγειν. Φασὶ γὰρ, ὅτι οὐ περὶ ἀνθρώπων τοῦτο εἴρηται, ἀλλὰ περὶ ἀγγέλων. τούτους γὰρ υἱοὺς Θεοῦ προσηγόρευσε. Καὶ πρῶτον μὲν δειξάτωσαν, ποῦ ἄγγελοι υἱοὶ Θεοῦ προσηγορεύθησαν. ἄνθρωποι μὲν γὰρ ἐκλήθησαν υἱοὶ Θεοῦ, ἄγγελοι δὲ οὐδαμῶς: *Videntes* Filii Dei *filias hominum, qvòd pulchræ eſſent, ſumpſerunt ſibi uxores ex omnibus, qvas elegerant. Singulas dictorum dictiones diligenter conſideremus, ne qvid in profundò latens nos prætereat. Neceſſum enim eſt probè hunc locum ſcrutari, ut evertamus fabulas eorum, qvi omnia inconſideratè exponunt. Et primùm qvidem dicenda ea, qvæ dicere audent, & monſtratâ eorûm, qvæ ab illis dicuntur,* abſurditate, *verus qvoqve Scripturæ ſenſus veſtræ caritati aperiendus eſt, ne ſimpliciter & facilè aures præbeatis.* Blaſphema *loqventibus, & adverſum capita ſua loqvi audentibus. Dicunt enim, qvòd non de* hominibus *hoc dictum ſit, ſed* de Angelis: *hos enim* Filios Dei *appellavit. Sed verò, primùm oſtendant, ubi* Angeli *ſint appellati* Filii Dei? *ſed hoc monſtrare neutiqvam poſſunt. Homines qvidem* Filii Dei *dicti ſunt*, Angeli *autem neqvaqvam.* Ecce qvàm gravi oratione magnus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Doctor *Chryſoſtomus* ſeductorum Interpretum opiniones longô uſu inveteratas de Angelorum e cœlis lapſu ac ineptis cum ſeqviore ſexu hymenæis refutandas qvondam ſuſceperat, dum *Fabulas* eas vocat, *abſurda*, imò *blaſphema* continentes, dum ſingularum dictionum ſollerti ſcrutiniô viam ſibi aperire ſtudet ad veri ſenſus inveſtigationem ac neceſſariam defenſionem. Hoc tamen ſtudioſum *Chryſoſtomi* ſcrutinium tantùm abeſt, ut omnium puncta tulerit, ut potiùs tanqvam malè tornatum ſub incudem ab eruditis ſit vocatum.

Celeberrimus ille Hebraicarum Literarum Hermes *Druſius*, Not. ad lib. 1. *Sulpicii* p. 23, 24. *Chryſoſtomum*, ejuſqve ſtudium ſic oppugnare aggreditur. Angeli qvibus cœlum ſedes erat, &c. qvæ ſuprà allegavimus. *Hujus*, inqvit, *ſententiæ fuerunt ex Hebræis* Joſephus *&* Philo: *ex Græcis* Juſtinus, Tatianus, Proclus, Athanagoras: *ex Latinis* Tertullianus, Lactantius, *hic noſter. Contra eam qvinqve argumenta proferuntur, qvæ nunc, ut potero, refutabo: non qvòd ita ſentiam, ſed ut oſtendam, in talibus argumentis, ſi ritè expendantur, parum ſoliditatis eſſe. Primum argumentum eſt* Chryſoſtomi *Homil.* 22. *in Geneſin*, Homines filii Dei dicuntur, *angeli nunqvam. Hoc perſpicuè falſum eſt. Nam Angeli ſic dicuntur Job* 1. 6. *Vide Miſcell. Cent.* 1. c. 12. Strigilis certè dentata magis, qvàm ut a Druſiani calami crena Homiliis *Chryſoſtomi* figatur, qvæ mollior eſſe conſvevit.

Conſtantinopolitanum Epiſcopum benigniùs tractavit SIXTINUS AMAMA, diſcipulus genuinus *Druſii*, & noſtrorum olim ſtudiorum Rabbinicorum & Chaldaicorum fidus Mercurius, qvod grati agnoſcimus. Etenim p. 390. Antibarbari editi Ambſtel. 1628, qvæ *Druſius* paucîs lineîs propoſuit ac Sancto viro oppoſuit, ampliori verborum circuitu diducit, e qvibus hæc adducenda duximus: *Chryſoſtomus*, ait, *negat hîc de Angelis agi, & rectè negat. Utinam qvoqve tam rectè & ſolidè ſententiam illam impugnâſſet! Et hîç vide, qvantam fruſtrationem ei attulerit minùs accurata Verſio.* Mox recitatis nonnullis verbis e Chryſoſtomi Homilia, qvæ a nobis modò ſunt allata, ſubjungit: *Angelus neqvaqvam filius vocatus eſt, neq; filius Dei.* Sed clarus & omni exceptione major locus eſt Job. 2. 1. Et venerunt בְּנֵי הָאֱלֹהִים *Filii Dei*, &c.

Qvid heic factô opus erit? animus ancipiti cogitatione diſtractus, ad premenda Magiſtri veſtigia invitat, innocentiam itidem *Chryſoſtomi* vix indefenſam, nedum deſertam patitur. Malim igitur audire pacis inter utramqve partem ſeqveſter, qvàm magnorum nominum inſectator: cum utrinqve litetur veritati. Qvod dum oſtendo, Lectores FAVETE ANIMIS!

Subtilem illum hallucinantis rationis Epanortheten *Ariſtotelem* in ſubſidium vocemus. Λέγω δὲ inqvit, *ἀντικεῖσθαι τὴν τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ, μὴ ὁμωνύμως δὲ, καὶ ὅσα ἄλλα τῶν τοιούτων προσδιοριζόμεθα πρὸς τὰς σοφιστικὰς ἐνοχλήσεις.*

Dico

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Dico autem opponi eam, quæ eſt ejuſdem de eodem, non æqvicocè, & cetera ejuſmodi, quæ definivimus adverſus ſophiſticas moleſtias lib. de Interp. Tract. 3. cap. 6. pag. 39. edit. Pariſ. *Guiliel. Du Val.* 1629. Qvis autem, qvæſo, eſt, cui vel unciola rationis ſuppetit, qvi non animadvertit eſſe

ANTIKEIMENA

Τὴν τοῦ Δρουσίου καὶ τοῦ Σιξτίνου	καὶ	Τὴν τοῦ Χρυσοστόμου
Κατάφασιν		Ἀπόφασιν
οἱ Ἄγγελοι ἐκλήθησαν υἱοὶ Θεοῦ.		οἱ Ἄγγελοι οὐδαμῶς ἐκλήθησαν υἱοὶ Θεοῦ.

SEd verò, cum alterum horum Pronunciatorum (ita *Varro*, ita *Cicero* vocat Enunciationes) affirmet, alterum neget, nemo non concludet, alterum tantùm verum, alterum omninò falſum eſſe, juxta *Ariſtotelem* in Hypocategor. ſub finem cap. 10. part. 3. p. 33. edit. citatæ, cujus hæc ſunt verba: Ὥστε ἐπὶ μόνων τούτων εἴη ἂν ἴδιον, τὸ ἀεὶ θάτερον αὐτῶν ἀληθὲς ἢ ψευδὲς εἶναι, ὅσα ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀντίκει): *Qvamobrem his ſolis qvæ opponuntur ut affirmatio & negatio, proprium eſt, ſemper alterum eorum verum aut falſum eſſe.* Adhibeamus jam Heraclium lapidem, qvem ſuprà nobis ſubminiſtravit emendator vagorum diſcurſuum *Stagirita*, binis his Axiomatibus, qvomodo Stoici vocant Enunciationes: mox clare patebit, nullum horum adulterinum aut falſum eſſe. *Chryſoſtomus* magnâ contentione docet contra fabularum amaſios de fictis Angelorum & formoſarum feminarum nuptiis ac liberis, qvòd *Angeli Dei* in Bibliis non *vocati ſint Filii Dei*: id qvod verum eſt de Bibliis Græcis Septuaginta Interpretum, qvibus uſus fuerat *Chryſoſtomus* ſuô ævô, & qvidem tali exemplari, cujus Verſus ſecundus cap. 6. Geneſ. nullam labem ſenſerat. Nam in loco Job. 1. v. 6. qvem pro ſua ſententia citat *Druſius* in antiqvis LXX Interp. exemplaribus, qvibus Græca Eccleſia familiariùs utebatur, olim diſertis verbis perſcriptum extabat: οἱ Ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, *Angeli Dei*, non οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, Filii Dei. Sed regeris; Verſio LXXII Interp. qvæ inſerta eſt Bibliis *Vatabli*, non legit dictô Jobi Verſu c. 1. οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, ſed οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ. Reſpondebit ipſe *Druſius* pro *Chryſoſtomo* ex ſuis Veterum Græcorum Interpretum Fragmentis in *Jobum*, & dicet: *Græca Eccleſia legit*: οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, & qvidem cum monito, qvòd τοῦ θεοῦ *adjectum*

ſit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſit διακελεύσεως ἕνεκα *, cum Diabolus etiam ſuos angelos habeat, qvi nuſqvam* vocantur (inqvit) Filii Dei, *qvod ſciam.* Sed Scholia Græcorum Interpretum, teſte *Druſiô*, lectionem, οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, admittunt, e qvibus Editores Bibliorum ipſi ſacro textui hæç inſeruerunt. Hanc lectionem *Chryſoſtomi*, & inde ortam ejus ἀπόφασιν porrò confirmavit *Druſius* Comment. in Job. in qvo LXX Seniorum antiqvam Lectionem allegat, & qvidem his verbis: LXX. οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, *angeli Dei.* Sic loqvendo innuunt angelos bonos. Nam etiam Satanas ſuos angelos habet, qvi ſunt angeli mali & pernicioſi. *Hic locus, ait, apertè refellit Chryſoſtomum, qvi negat Angelos uſpiam vocari filios Dei.* Sed tantùm abeſt, ut hic locus refellat *Chryſoſtomum*, ut potiùs abſolvat eum a culpa falſitatis, cujus inſimulatur a *Druſio*. Qvòd ſi enim Biblia Græca non tantùm hoc loco, ſed etiam aliis, qvos afferre facilè fuerit, conſtanter oſtendiſſent voces, οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, herbam *Druſio* & *Amamæ* porrecturus fuiſſet *Chryſoſtomus*, grande veteris Eccleſiæ columē. At verò, cùm Græca tranſlatio, qvam manu diurnâ ac nocturnâ verſârat B. Pater, qvæ iſtâ ætate familiaris fuerat Eccleſiæ, Angelorum Dei apertam faciat mentionem, teſte ipsô Druſiô, falſitatis nec reus nec damnas cenſendus erit: nihil enim alienum a veritate dixit, qvæ ipſi patefacta fuerat in divinis monumentis iſtius ſæculi. Imò aliter docere non potuit, aut retundere fabularum fabros, qvàm popoſcerat Auditorum ratio. Qvippe id urſit neceſſitas ſacri cœtus, qvem publicâ voce informavit, qvémqve penetrante ac percellente ſvadâ revocare ſtuduit a doctrinâ hæreticâ, ſi *Philaſtrio* credendum ſit, qvi veritatis tribunali teſtis jam nunc ſiſtendus erit. Hac enim hæreſi qvia multorum auditorum animos aut dudum infectos dubiô procul noverat, aut brevi inficiendos ſagaci mente prævideraț vigilantiſſimus animarum Aſiaticarum Archiepiſcopus: antidotum nec tutius nec efficacius huic veneno ſive expellendo ſive prçcavendo adhibere potuit alexipharmacô ſancti Spiritus, qvod divinæ Scripturæ Græcanicô idiomate perſcriptæ, & auditorum manibus teri conſvetæ ſubminiſtrârunt. Qvod ſi enim aliud Bibliorum genus uſurpâſſet, qvàm qvô Eccleſia Græca ſuæ vigilantiæ commiſſa uſa fuerat, ardorem veritatis in tantæ multitudinis, qvâ circumqvaqve cingebatur, plusqvam Pythagoras olim denſâ auditorum catervâ, animis accenſum potiùs exſtinxiſſet, qvàm excitâſſet. Eqvidem populus belua multorum capitum facili ſuæ ſpontis motu abripitur in erro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

errorum avia, ſine præviâ docentis voce: qvæ ſi inauſpicatò acceſſerit, immane qvantùm Eccleſiam turbet. Ne igitur hoc incommodi ſeqveretur commodam Homiliaſtæ operam, commodùm ad refellendos errores & confirmandam veritatem adhibuit illud Græcum ſacrarum literarum volumen, in qvo expreſsè perſcriptum extabat, οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, & cui jam aſſueverat Græcorum Eccleſia, teſte *Druſiô* in citatis modò Fragmentis Veterum Interpretum Græcorum. Exempla cautioris modi in docendo de non turbanda Eccleſia obvia habuit vir pius in ſcriptis Evangeliſtarum & Apoſtolorum allegantium Veteris T. dicta ad confirmandam τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὑποτύπωσιν. E multis unicum hâc vice afferendum duximus, ſed facilè princeps ac primum, ne opinione celeriùs in majorem excreſcat molem noſtrum IRENICUM, qvàm aut Lectoris patientia, aut emptoris crumena ferat.

Sanctus Lucas in divina Stephani Apologia deſcripta capite 7. Act. Apoſtolicorum tradit ℣. 14. *ſeptuaginta qvinqve* animas oriundas parente Jacobô cum eodem veniſſe in Ægyptum, cùm tamen Exodi 1, 4. *ſeptuaginta* tantùm memorentur. Sed Lucas ſeqvutus eſt Verſionem Græcam LXXII Interpretum, qvæ auget numerum, ne naſcentis Eccleſiæ fervorem in Chriſtiana Doctrina amplectenda impediret. Hoc enim Bibliorum genus ſub initium plantatæ Eccleſiæ fuit in uſu. Veluti autem hæc Apoſtolica Eccleſia recens nata non erat turbanda: ita auditorium ſuum Chryſoſtomus novitate qvadam inſvetâ ſapienter non cenſuit perturbandam. Verbo dicamus: vere ſcripſit & dixit *Chryſoſtomus* qvando convenienter ſuis & auditorum Bibliis Græcis & ſcribere & loqvi aggreſſus eſt: qvæ tamen N. T. διαῤῥήδην non ſemper ſeqvitur.

Druſium verò & *Amamam* qvod ſpectat; uterqve etiam vera & dixit & ſcripſit. Nam veluti ambo Hebraicarum literarum Profeſſores laudatiſſimi in Academia Franeqverana qvondam fuerant: pari Hebraicæ Profeſſionis jure aſſidui Interpretes extiterant Hebraicorum Voluminum, id qvod teſtantur Scripta erudita ab utroqve edita. Qvapropter ſi Hebræorum Codices cum ipſis evolvamus, vix dubitare licet, qvin eorum aſſertio ſit veritati conſona. Eqvidem verè qvidem a *Druſio* affirmatur, qvòd Jobi 1, 6. in Hebraico textu extent בְּנֵי הָאֱלֹהִים *Filii Dei.* Qvia verò Græca antiqva Verſio legebat, οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ: Chriſtianis Doctoribus occaſio ſubminiſtrata fuit interpretandi hunc

locum de *ſanctis Angelis*. Idem eſto judicium de illis locis, qvos allegat *Sixtinus Amama* ex Job. II, 1. & XXXVIII, 7. E dictis igitur efficitur, utrinqve veritati litatum fuiſſe, adeóqve litem eſſe compoſitam. Id qvod ad oculum cuivis de perfacili patebit, qvi vel umbellam tantùm Oppoſitionis, qvæ κατ᾽ ἀλήθειαν ſic dicta eſt, emiſſitiô oculô obſervârit.

Nam ut Lydium Ariſtotelis lapidem admoveamus probandæ adulterimæ contrarietati, animadvertimus non eſſe τὴν τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ veram Oppoſitionem, ſed, ut ſpecialiùs loqvamur, Contradictionem tantùm apparentem. Stet ergo ſententia non eſſe

ANTIKEIMENA

DRUSII & AMAMÆ	CHRYSOSTOMI
Affirmationem:	*Negationem:*
Angeli appellati ſunt Filii Dei in Hebræis Bibliis.	*Angeli neutiqvam dicti ſunt Filii Dei in Græcis Bibliis.*

ID QVOD ERAT DEMONSTRANDUM.

CHryſoſtomo averſanti illicitas & planè enormes tædas cœleſtium creaturarum & terreſtrium virginum manus auxiliatrices porrigit *Theodoretus* Qvæſt. in Geneſin XLVII: Qvosnam Moſes vocavit filios Dei? pag. 38. edit. Lutet. Anno 1642. *Qvidam* inqvit, *nimis ſtupidi & ſtolidi exiſtimârunt eos* Angelos *eſſe, putantes ſuæ forſan intemperantiæ patrocinium ſe habituros, ſi* Angelos *ejuſdem criminis reos tenerent. Oportebat autem eos audiiſſe Deum omnium ita dicentem:* Non permanebit Spiritus meus in hominibus illis in æternum, qvia carnes ſunt. Erunt autem dies illorum centum viginti anni: *& inde perſpicere naturam* incorpoream carnes non habere, *neqve* Angelos vitam habere tempore definitam: immortales *enim creati ſunt.* Et poſtea pag. 48. in eadem Qvæſtione: *Hi qvi ex Seth genus duxerunt, olim qvidem ut virtutum ſtudioſi vocabantur* filii Dei, *verùm impurarum mulierum pulchritudine capti confuderunt familias alioqvi diſtinctas, & pro fructu hæreditario commune exitium receperunt.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Ecce rectâ nos ducit *Theodoretus* ad *Secundum Vitium*, qvod ſpectandum proponit oculis acutùm cernentibus Scriptum diviniſſimi *Enochi* nomen mentitum, ut ſiccô pede prætereamus aliorum Patrum vindicias pro hoc loco, nimirum, *Hieronymi* L. de Tradit. Hebr. in Gen. *Epiphanii*, *Procopii Gazæi*, *Ambroſii* Lib. de Noë & Arca cap. 4, venerabilis *Bedæ*, *H. Hrabani Mauri*, *Haymonis* &c. cum qvibus tranſigant alii, qvi dogmata tam notoriæ abſurditatis propoſuerunt. Ex hoc *Primo Vitio* procul dubio pateſcit, Judæos primos fuiſſe ſeminatores hujus infelicis lolii, ejuſdem porrò minùs cautos conſitores extitiſſe *Patres* nonnullos Græcos pariter ac Latinos, qvô Eccleſiæ ager in ſe bonus vitiatus eſt. Qvoniam verò magnô verborum inanium apparatu faber hujus adulterinæ monetæ eundem pronubum illegitimi conjugii repræſentat, qvem antiqvi Judaicæ Synagogæ antiſtites *deſignant*: conſentaneum vero fuerit, ejuſdem Scholæ dormitantis alumnum cœcutientem fuiſſe, qvi Henochæarum fictarum nugarum audaculus Magiſter eſſe geſtiit.

SECUNDUM vitium, qvô deformatur ſubdititius fœtus Henochi, ab ipſo auctore his vivis coloribus depingitur: Καὶ νῦν οἱ Γίγαντες οἱ γεννηθέντες ἀπὸ πνευμάτων καὶ σαρκὸς πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς καλέσουσιν αὐτοὺς, ὅτι ἡ κατοίκησις αὐτῶν ἐστὶν ἐπὶ τῆς γῆς. Πνεύματα πονηρὰ ἔσονται τὰ πνεύματα ἐξεληλυθότα ἐκ τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς αὐτῶν, διότι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐγένετο καὶ ἐκ τῶν Ἐγρηγόρων. Ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως αὐτῶν, καὶ ἀρχὴ θεμελίου πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἔσονται. Τὰ πνεύματα τῶν Γιγάντων νεμόμενα, ἀδικοῦντα, ἀφανίζοντα, ἐμπίπτοντα, καὶ συμπαλαίοντα, καὶ ῥιπτοῦντα ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ δρόμους ποιοῦντα, καὶ μηδὲν ἐσθίοντα ἀλλὰ ἀσιτοῦντα, καὶ φάσματα ποιοῦντα, καὶ διψῶντα, καὶ προσκόπτοντα, καὶ ἐξαναστήσονται τὰ πνεύματα ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν γυναικῶν, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἐξεληλύθασι. Hæc ſub finem Fragmenti e Codice *Henochi* reſidui totidem verbis in auguſto *Oedipi Kircheriani* opere excuſa extant. Qvorum Latinâ interpretatione, qvam ſuprà attulimus, tempeſtivè ſuperſedemus, ne actum agere videamur.

Qvanqvam in hac fabuloſa narratione plura noſtro conſpectui primùm ſe offerant, qvàm ut horum multiplici deformitati monſtrandæ pauxillum temporis ſufficiat, qvod muniorum publicorum neceſſitas & prælorũ avarus gemitus ex æqvo inter ſe dividunt: tamen noſtro ſcopo ſatis fore putamus, initiò oſtendiſſe ex *Secundi hujus Vitii* de Gigantibus natis a *ſpiritibus & carne*, ſive egreſſis *e corpore & carne*, partim genitis ab

 homi-

hominibus partim ab *Egregoræis*, inſtitutâ συγκεισθ cum ſecretis Judæorum placitis, qvòd haud alienum a vero dixerit, qvi ſtatuit, hanc adulterinam & mutilatam Henochi ſobolem origine qvidem & primô ortu Judaicam eſſe. Deinde monſtrâſſe, qvòd non pauci Patrum, teſtibus Pontificiæ Scholæ Doctoribus, corpora Angelis tribuerint. Sic proh dolor! a vera & veriorum dogmatum matre SACRA SCRIPTURA degeneres facti, etiam huic nugivenduli ingenii abortui velut obſtetricari cœperunt, ſed adeò infauſtâ Lucinâ, ut complures noſtri ſæculi Scriptores exinde in ſocietatem infelicis nutricatus ad varia vanarum opinionum divortia pellecti diverterint, & tantùm non infeliciter impegerint. Ut autem conſtet, fontem hujus vanitatis derivatum eſſe e Judæis ad Chriſtianos, præviâ obſervatione Druſii grati utemur.

Joh. Druſius Not.ad. Lib. I. Sulpitii docet, ſermonem non eſſe Severo in Hiſtoria ſacra de *Filiis diaboli*, ſed de *filiis Dei*, hoc eſt, *angelis*, *qvi ad hæc inferiora detruſi* humanam induêre naturam. *Unde in Medras Ruth; Facti ſunt* ſicut homines. *Nam in ſpecie humana verſati ſunt cum hominibus, corpora terrena geſtantes, ex qvatuor elementis compoſita. Itaqve legimus in eodem Libro, Inter eos angelos, qvi mixti fuerunt hominibus, non fuerunt ſicut illi,* qvi אִישִׁים, *id eſt, viri vocantur, nec ſicut illi qvi filii Dei vocantur. Nam poſtqvam a* Deo *dejecti fuerunt*, involuti elementis humanis veſtierunt ſe eis. *Reliqvi angeli cùm deſcenderent, parati fuerunt ad redeundum in locum ſuum*, aërea corpora habentes.

Hoc dogma Apellarum licèt ſuapte vanitate ruat; tamen complures e Patribus *Angelos* corporeos fuiſſe ſtatuerunt, teſte *Few-ardentiô* in *Irenæum* adverſ. hæres. pag. 290. edit. 1596. cap. 23. *Angelis*, inqvit, corpora propria *tribuunt nonnulli antiqvorum, ut ex Juſtino, Tatiano, Tertulliano, Cypriano, Origine, & pleriſqve aliis apertum eſt. Dionyſius Petavius* Animadv. ad Hæreſ. LXIV Epiphan. p. 261. edit. Pariſ. 1622. affirmat fuiſſe hanc ſententiam vetuſtiſſimorum Patrum ferè omnium *Angelos* fuiſſe *filios Dei*, qvi filias hominum adamâſſe dicuntur: pleroſqve autem Patrum perſuaſum habuiſſe, qvòd *Angeli* fuerint *corporei*.

Origenes de Principiis lib. I. pag. 421. edit. Genebrard. Pariſ. 1619: *Non eſt tale corpus, qvale habent dæmones, qvod eſt naturaliter* ſubtile, *& velut aura* tenue. *Tertullianus* Tom. 3. libro 3. adverſ. Marc. cap. 9. num. 61. cap. 11. num. 72: *Dehinc*, inqvit, *ſcito, nec illud concedi tibi,* *ut*

ut putativa fuerit *angelis* caro, *ſed* veræ ac ſolidæ ſubſtantiæ humanæ.

Fevv-ardentiô & *Petáviô* longè mitior eſt in optimos Patres, benedictæ memoriæ Vir, *D. Balthaſar Meiſnerus*, qvondam in Academ. Wittenb. Profeſſor meritò celeberrimus, qvi Philoſ. Sob.Sect.4. cap.8. Qvæſt.1. pag.1113.ſeq.edit. Lubec.1613. non unô modô eos excuſat. Qvoniam autem hæc *Meiſneri* excuſatio memorabilis eſt, & ſingularis erga Patres affectus documentum: eam totidem verbis afferre haud tædebit, qvot ab Autore perſcripta invenitur.

Patres, inqvit *Meiſnerus*, qvod ſpectat, faciunt ſanè illi nonnunqvam mentionem *corporum Angelicorum*, ut *Tertullianus* lib. de carne Chriſti, & contra *Praxeam*: itemq; *Bernardus* in Cant. cant. ſer. 5. qvod ipſum qvoqve refert de *Auguſtino Ludovicus Vives* in lib. 15.de civ.Dei. cap.23. & *Cœlius Rhodiginus* lib. 1. Antiqv. Lect. cap. 20.

Excuſari verò illi facilè poſſunt.

1. Qvòd vocabulo σώματος ſint uſi in ſignificatione latiori, pro *ſubſtantia verè ſubſiſtente*. Σῶμα enim Græcis ſæpe perſonam ſignificat ut Gen. 34. & 36. & Tob. 10. 10. qvo ſenſu etiam ſumitur apud Theognidem.

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλ᾽ ἀνεγείρειν.
Ἐς πενίην οἶμός ἐστιν ἑτοιμοτάτη.

Sic nonnulli Patres vocabulum σωματικῶς Coloſſ.2. v.9. verterunt *perſonaliter*. Qvando igitur dixerunt, *Angelos* eſſe corpora, intellexerunt *ſubſtantias verè ſubſiſtentes*.

2. Qvod ſæpè ex aliorum locuti fuerint ſententia, qvod de *Auguſtino* certum eſt, qvi etiam lib. 8. de Trinit. cap. 16. δαίμονας definivit *genere animantia, animo paſſiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna*: Verùm non ex ſua, ſed *Apuleji Madurenſis* & *Porphyrii* opinione.

3. Qvòd non locuti ſint *abſolutè*, ſed *reſpectivè* ἐν συγκρίσει πρὸς Θεὸν, ſeu comparatione ad Deum. Qvia enim ſolus ille ſimpliciſſimus & puriſſimus actus eſt: ideo omnia ad eum collata ſunt compoſita, & hoc ſenſu *Angelos* qvoqve dixerunt *corporeos*, hoc eſt compoſitos & non ſimpliciſſimos.

Diſtinctionem hanc apertè docet *Damaſc*.lib.2.cap.3. qvando ſtatuit, Angelos eſſe *incorporeos* πρὸς ἡμᾶς, *corporeos* tamen reſpectu *Dei*. Πᾶν γὰρ συγκρινόμενον πρὸς τὸν Θεὸν μόνον ἀσύγκριτον, παχύτε καὶ ὑλικὸν εὑρίσκεται. Μόνον

γὰρ ὄντως ἄυλον τὸ θεῖόν ἐστι, καὶ ἀσώματον, *Omne collatum ad Deum, qvi ſolus* incorporalis *eſt, craſſum &* materiale *comperitur, ſola enim* verè immaterialis & incorporea *divinitas.* Qvem locum ita declarat *Thomas de Aqvino* part. 1. qvæſt. 50. art. 1. *Medium comparatum ad unum extremum, ſicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum: & hâc ratione dicitur, qvòd* Angeli Deo *comparati ſint* materiales *&* corporei, *non qvòd in eis ſit aliqvid de natura* corporea.

Ecce Confeſſionis Auguſtanæ Theologum, Patrum a clientibus ſuis accuſatorum fidum patronum, hiantium vibicum a filiis refricatorum lenem medicum, errorum manifeſtatorum benignum interpretem. Vosmetipſos, *qvi ſoli bene vivere, Jeſumq́; propiùs inſeqvi & comitari vobis videmini*, verbis veſtri *Ariæ Montani*, judices ipſa æqvitas appellat, utérne horum vobis videatur proximiùs ad Semi & Japheti reverentiam acceſſiſſe? *Few-ardentiúſne* an verò *Meiſnerus?* Doctórne Pontificiæ Scholæ Petavius, an verò noſtræ Eccleſiæ Theologus, verecundior paternorũ verendorum tector exſtiterit? Id qvod velut in nullius contemptum dictum volumus: ita intempeſtivos oſores Patrum, qvibus nunc ætas temporibus Apoſtolorum vicinior, nunc zelus defenſæ cœleſtis veritatis contra τοὺς ἀπηλλοτριωμένους τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένους τῶν διαθηκῶν, τῆς ἐπαγγελίας ἐλπίδα μὴ ἔχοντας, καὶ ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ Epheſ. 2. 12, nunc deniq; ſtudium vitæ ſanctioris & alienioris a ſæculi hujus pravis moribus, ambitione, invidia, avaritia, & id genus aliis, eminentiorem præ aliis humi abjectis animabus auctoritatem conciliavit, monitos cupimus, ne qvibusvis Eccleſiaſticorum Scriptorum leviculis nævis medium oſtendere digitum volupe ducant. *Leviculos* appoſitè nominamus. Nam non parcitum eſt mutuis erroribus etiam ab ipſis Patribus. Sic *Hieronymus Euſebium, Originem, Papiam, Tertullianum* & *Lactantium* caſtigavit, *Epiphanius Origenem, Auguſtinus Tertullianum* & *Cyprianum.* Errores itaqve non ſupprimendi, ne aliis ſint offendiculo, ſed moderatè culpandi & ſine virulentæ lingvæ convitiis. Nemo enim noſtrum omne perfectionis punctum tulit. In multis labimur omnes. Nemo omnibus horis ſapit, nedum omni ætate.

Horum Patrum ætatem ac ſtudium conſiderantes, novum, qvod non adhibuit *Meiſnerus*, malagma recrudeſcentibus crebrò fricatu vulneribus eorum applicandum duximus. Non memorabimus, qvàm obviam erran-

errandi occaſionem Patribus ſubminiſtraverit antiqvorum Græcorum codicum prava lectio loci Gen.6: nec repetemus, qvàm cœcâ ſæpe ſponte ac obedientiâ exoculatos in multis duces Hebræos *Philonem* ac *Joſephum* Patres ſint ſeqvuti, adeóqve in varia errorum præcipitia opinione celeriùs abrepti. Unum nobis in memoriam revocamus, qvod haut exiguam præſenti errori de corporibus Angelorum ſeu Dæmonum anſam præbuerit.

Primîs Chriſtianiſmi ſæculis ab incude Philoſophica calebant complures Patrûm, in primis dogmata *Platonis* ſeqvuti. Hujus placita, ceu umbræ ſolida corpora, antiqvos Scriptores ſeqvebantur etiam tunc, cùm ſæculi hujus deteſtandis idolis ac profanæ ſapientiæ inſtitutis nuncium remiſerant. Nam velut recens ſervat teſta odorem, qvô ſemel eſt imbuta: pari tenacitate ſemper ſordidæ qvædam reliqviæ futilis mundanæ ſcientiæ, contemplationum & idæarum Platonicarum altiſſimis defixarum radicibus in mentibus remanſerant, qvarum veſtigia obvia ſunt iis, qvibus lectio Eccleſiaſticorum Scriptorum non planè ſordet. Nonnunqvam in ipſorum monumentis legendis plurimum olei ac operæ conſumebant, maláqve, qvæ ſubinde bonis ſunt vicina, tenaciùs & apprehendebant & retinebant, ſcripta ſua iiſdem profanantes. Hinc illæ lacrymæ, & illæ lemæ hæſerant oculis eorum, qvi aliàs acutùm cernere putabantur, qviqve columina religionis Chriſtianæ & lumina orbis audiebant.

Evidenti documento ſit *Apulejus* Platonicæ Philoſophiæ ſectator, qvam Athenis didicerat. *Platonis* autem opinionem de Dæmonum natura expreſſurus ſcribit Lib. de Deo Socratis p.290. edit. Plant. Antv. 1588: *Ceterùm* inqvit, *ſunt qvædam divinæ* mediæ *poteſtates inter ſummum æthera & infimas terras in iſto interſiti aëris ſpatio, per qvas & deſideria noſtra & merita ad Deos commeant. Hos Græcô nomine* δαίμονας *nuncupant: inter mortales Cœlicoláſqve vectores, hinc precum, inde donorum, qvi ultrò citróqve portant, hinc petitiones, inde ſuppetias, ceu qvidam utrimqve interpretes & ſalutigeri. Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denunciata, & Magorum varia miracula, omnéſqve præſagiorum ſpecies reguntur.* Et pag. 291: Mediorum *iſta ſortitio eſt, qvi in aëris terræ plagis conterminis, nec minùs confinibus cœlo perinde verſantur, ut in qvacunqve parte naturæ* proprîa *ſint* animalia, *& in æthere volantia, & in terra gradientia. Hæc animalia* in aëre *gignuntur*, inqvit,

ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ut in igni flammida, in unda fluxa, in terra glebulenta. P. 293: *Qvòd ſi nubes ſu-*
blimè volitant, omniſqve & exortus & terminus & retrò defluxus earum in terras
eſt: qvid tandem futura cenſes Dæmonum corpora, *qvæ ſunt concreta multò*
minus & tantò ſubtiliora? Non enim ſunt ex hac fæculenta nubecula, tumida ca-
ligine conglobata, ſicut nubium tenus eſt, ſed ex illo puriſſimo aëris liqvido & ſe-
reno elemento coalita: eáqve nemini hominum temerè viſibilia, niſi divinitùs ſpe-
ciem ſui offerant &c. Fila corporis *poſſident* rara & ſplendida *&* tenuia *uſq;*
adeo, ut radios omnis noſtri tuoris & raritate transmittant, & ſplendore reverbe-
rent, & ſubtilitate fruſtrentur. Pag. 294. *Sunt inter homines ac Deos, ut locô re-*
gionis, ita ingeniô mentis interſiti: habentes communem cum Superis immortalita-
tam, cum Inferis paſſionem. Nam, perinde ut nos, pati poſſunt omnia animorum
placamenta vel incitamenta: ut in ira incitentur, & in miſericordia flectantur,
& donis invitentur, & precibus leniantur, & contumeliis exaſperentur, & hono-
ribus mulceantur, aliiſqve omnibus ad ſimilem nobis modum varientur. Qvippe,
ut finem comprehendam: Dæmones *ſunt genere animalia, ingenio rationabilia,*
animo paſſiva, corpore aëria, *tempore æterna.*

Qvod ſi qvis diſcipulum *Apulejum* audire detrectet, Præceptorem e-
jus *Platonem* adeat, & audiat ipſum ſic loqventem in Epinomide: μετὰ δὲ
τούτους καὶ ὑπὸ τούτοις ἑξῆς, δαίμονας, ἀέριον δὲ γένος ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς
ἑρμηνείας αἴτιον, εὐχαῖς τιμᾶν χρεὼν χάριν τῆς εὐφήμου διαπορείας: *Poſt hos, ait,*
& ſub his deinceps cenſendi Dæmones. *Eſt autem genus* aërium, *habens ter-*
tium, ac medium locum, interpretationum legationumqve autor: eóſqve honorare
votis valde operæprecium eſt, ut fauſta ſit eorum pro nobis legatio. Hæc Plato
locutus ſubjicit: Horum duorum animalium, alterum ex æthere, *alterum ex aëre,*
prorſus utrumqve non cerni, adeſſe nobis tamen, etiam non perſpicuum, perſuade-
re debemus: Eſſeq; mirabili ſapientiâ præditum, utpote genus docile ac memor,
cognoſcens omnem noſtram cogitationem, mirabiliterq; amplectens, qvi ex nobis
boni probiq; ſint, odio habens incredibiliter malos, ceu *qvi mœroris ſint capaces:*
Deum enim ſupremam dignitatis arcem obtinentem, extra dolorem & voluptatem
eſſe, ſolùm ſapere & noſſe dicendum. Cúmqve mundus animantium ſit plenus, eos
ad invicem, & ſupremos Deos omnes, omnia perferre, eò qvòd animalia inter ja-
ceant, qvæ mirâ celeritate in cœlum ac terras omnemqve mundum ferantur. Con-
fer *Platonis* Sympoſium, ſive de Amore pag. 29. edit. Baſil. 1571. ubi in-
ter alia ſic ſcribit: *Omne dæmonium inter Deum & mortalem* medium eſt:
Qvam verò, inqvam ego, vim habet dæmonium? Interpretatur & transmittit ad
Deum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Deum res hominum , & ad homines res deorum : illorum qvidem ſupplicationes & ſacrificia, horum verò præcepta & retributiones pro ſacrificiis. Qvum autem in medio ſit amborum , totum ipſum ita complet , ut ipſum ſibi ipſi ſit connexum. *Per hoc etiam omnis vaticinatio procedit , & tota ſacerdotum ars de his , qvæ ad ſacrificia pertinent , & ad paſtorum myſteria ac incantationes , & ad omne vaticinium ac expiationem. Deus autem homini non miſcetur , ſed per hoc omnis converſatio ac colloqvium diis ad homines contingit, & vigilantes & dormientes.* His adde illa in Phœdone, pag. 57. 58. *Sic autem narrant,* qvòd *unumqvemqve mortuum cujuſqve* dæmon , *qvi viventem ſorte obtinuit, ad qvendam locum ducere aggreditur,* Socrates in Platonis Theage ait: Ἐςὶ γάρ μοι ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον θείᾳ μοίρᾳ παραγινόμενον δαιμόνιον. σημεῖον τοῦτο δέ ἐςι φωνὴ, ἣ ὅτ' ἂν γένηται, ἀεὶ μοι σημαίνει ἀποτροπὴν τούτου, ὃ μέλλων πράττειν, προτρέπει δὲ οὐδέποτε. *Contigit mihi a puero incipienti divinâ ſorte* dæmonium, *cujus ſignum eſt vox, qvæ cùm fuerit, moratur, & avocat ab eo, qvod facere inſtitueram , nunqvam incitat , ut agam.* Plato lib. 4. de Legibus, tres *Deorum ordines* conſtituit, *Deos,* Dæmones & *Heroes.* In Epinomide , *inter Deos qvoſdam ſtatuit* Dæmoniis aëriis *minores , hominibus majores , qvos* ἡμιθέους *vocat , eoſq́ʒ* Heroes *eſſe ait.* In Cratylo , *Semideos eſſe vult genitos altero parente* Deo, *altero* mortali, haut abſimiles fictis *Henochi* Nephilimis , qvos partim *Egregoris* , partim *hominibus* natos nugatur Libri Henochæi auctor. Labeo *ſemideum* Heroibus antepoſuit. *Auguſtinus* Lib. 2. cap. 14. de Civit. *Platonem Labeo inter* Semideos *commemorandum putavit, ſicut Herculem, ſicut Romulum: Semideos autem Heroibus anteponit. Heſiodus Heroas &* Semideos *facit eoſdem*

> Ἄνδρων ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται Ἡμίθεοι ———
>
> *Heroum* divum genus, *qvi vocantur* Semidei ———

Hæ ſunt impuræ ſcaturigines *Platonis*, hæ *Platonicorum* paludes, e qvibus *Patres* tantam ſordium conflugem in ſua ſcripta traxerant, ut alia taceamus ; idqve facili ductu , cùm partim a primæ ætatis florentis annis imbuti Platonicis his fabulis, partim poſt data Chriſto nomina legentes *Platonis* libros hunc fructum ceperint , ut ſe & alios deceperint, incurioſi monitionis Apoſtolicæ, Col. 2. v. 8 : *Videte ne ſit, qvi vos prædas faciat per Philoſophiam & inanem fallaciam juxta traditionem hominum , juxta elementa mundi & non juxta Chriſtum.*

Qvamvis hæc *Pauli* admonitio totius Philoſophiæ traditæ ab hominibus veræ cognitionis ignaris , ductæ a mundi elementis & Chriſto op-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

poſitæ abuſum pertineat: neutiqvam tamen aberrabit, qvi dixerit, qvòd Apoſtolus Platonicam Philoſophiam ſigillatim hôc locô cavendam injunxerit. Conferatur modò verſ. 18. hujus cap. 2. cum præſenti periocha: mox id, qvod modò monitum eſt, manifeſtum evadet. *Nemo*, inqvit, *vos ſeducat approbans, humilitatem & religionem* (θέλων ἐν θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων) *angelorum, ambulans* (juxta illa) *qvæ non vidit, fruſtrà inflatas a mente carnis ſuæ.* Qvoniam Platonica Philoſophia longè crebriùs & audaciùs diſſerit de *Angelis*, qvàm reliqvæ Philoſophorum ſectæ, & *Paulus* tanqvam Doctor & Apoſtolus Gentium, varios de Deo, angelis ſeu dæmonibus (qvâ voce Platonici bonos pariter ac malos angelos complecti ſolebant) eorum diſcurſus & opiniones profligaturus, in primis cultui Dæmonum ſe oppoſiturus, cavendum præcipit a tali Philoſophia, qvæ Angelorum humilem ac religioſum cultum homines docet.

Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum: *Nimirum curæ eſt Magis, ut Venere, vinô, eſu animantium abſtineant.* λατρεύουσι γὰρ ἀγγέλοις καὶ δαίμοσι, *& angelos & dæmones colunt. Pythagoras:*

> Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας.
>
> *Cole* Dæmones, *qvi in terra verſantur.*

Huc ſpectat *Genii* cultus ſacrificiis aut precibus conſtans, cui Latium etiam ſeſe ſubmiſit. Plaut. Capt. Genio *ſuo qvando ſacrificat, ad rem divinam qvibus opus eſt, Samiis vaſis utitur, ne ipſe* Genius *ſurripiat. Horat.* de Arte Poët.

> ——— *vinóqve diurnô*
>
> *Placari* Genius *feſtis impunè diebus.*

Virgil. lib. 7. Æneid.

> ——— Geniúmqve *loci, primámqve Deorum*
>
> *Tellurem,* Nympháſqve, *& adhuc ignota precatur*
>
> *Flumina* ———

Genios etiam in nuptiis contrahendis advocandos cenſuit ſuperſtitioſa antiqvitas. *Arnobius* lib. 2. adv. Gentes pag. 91. edit. Lugd. Bat. 1641: *Cum in matrimonia convenitis, togâ ſternitis lectulos, & maritorum* Genios *advocatis. Cic.* pro Cluentio: *Lectulum illum* genialem, *qvem bienniô ante filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni, expulsâ & exturbatâ* filiâ jubet. *Iuvenal.* Sat. 10. v. 34.

> ——— *Tyriúſqve palàm* Genialis *in hortis*
>
> *Sternitur, & ritu decies centena dabuntur*
>
> *Antiqvô: veniet cum ſignatoribus auſpex.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Neqve ſuâ qvondam familiares *Genii* domus, *Lares* & *Penates* vanâ religione caruerunt. *Iuven.* Sat. 9.

> *O noſtri parviqve* Lares, *qvos thure minuto,*
> *Aut farre,* & *tenui ſoleo exorare corona.*

Horat. Od. 23. lib. 3.

> *Si thure placaris, & hornâ* *Parvos coronantem marino*
> *Fruge Lares, avidâqve porcâ:* *Flore Deos, fragiliqve myrto.*
> ——— *te nihil attinet*
> *Tentare multâ cæde bidentium.*

Larium ſuperſtitioſus cultus inde originem apud ethnicos duxit, qvòd domi ſuos qviſqve domeſticos, in primis proximi ſangvinis, ſepeliendos curârit. *Plautus* in Mercat. Dii Penates *meûm parentum, familiaq;* Lar Pater, *vobis mando meûm parentum rem bene ut tutemini. Ego mihi alios* Penates *perſeqvar, alium* Larem. *Virgil.*

> *Cum ſociis, natóqve,* Penatibus *& magnis Diis*
> Dii patrii *ſervate domum, ſervate nepotem*
> ——— patriiqve Penates.

Hos omnes & ſingulos, ſive fuerint ex *æthere* ſive *aëre*, ſive *publici* ac *patrii* Dii ſive *privati*, ſive Lares *Viales*, ſive *Domeſtici*, ſive *Penates* publici, ſive privati, *Genii* ſive boni & tutelares, ſive mali, ſive *Fauni* ſilvarum incolæ, ſive capripedes *Satyri*, aut quocunqve aliô nomine appellati ſint, votis hominum honorandos cenſet *Plato* in Epinomide, ut ſuprà pag. 48. monitum eſt.

Qvi *Dæmonum* cultus intra Orientis & Occidentis, Palæſtinæ, Ægypti, Græciæ ac Latii fines ſe qvondam non continuerat, uſqve ad ultimam Thulen ac Septentrionis gentes propagatus. Qvô factum arbitramur, ut arctoæ qvondam aniculæ domeſticis *Laribus* ſeu *Penatibus* litârint tanqvam averruncis ſive impendentium malorum ſive bonorum præſidibus, in primis pecudum felicibus cuſtodibus. In angulis & ſecretioribus domuum partibus varia eſculentorum genera collocabant. Et licèt *Dæmones* ſint ἀσιτοῦντες, μηδὲν ἐσθίοντες, ut loqvitur perſonatus *Henoch*, nec edant, nec bibant, adeóqve omni eſculentorum ac potionum etiam lautiſſimarum apparatu abſtineant; oblatus tamen ipſis cibus, ac ſi conſumptus fuiſſet, diſparuit, ne cultricibus effaſcinatis occaſio daretur, deſiſtendi ab hac ſuperſtitione. Reliqviæ hæ ſunt veteris dæmonolatriæ,

triæ, *Platonicæ* Philoſophiæ, & paganæ cæcitatis, cujus tenebras clara Evangelii lux, Deo ſit laus, jam diſpulit. Fruſtra tamen non ſerviit qvondam, qvi cunctorum jactabundus poſſeſſor, liberalis largitor & ſummus Dominus audire voluit, Matth. 4. v. 8, 9. Servus in terris apparuerat, ut dominas ſuas inferno manciparet. Domus cuſtodierat, ut heros ac heras domo cœleſti extruderet. Cuſtodia ejus, æterna perditio; tutela, perpetua tortura. Tantò autem vehementiùs deteſtabimur *Platonicam* hanc *Angelorum Dæmonúmqve* θρησκείαν, & diabolicum *Penatum* averruncorum commercium, qvi nomina Sacroſanctæ Trinitati dedimus, Satanæ cunctíſqve ejus machinamentis in Baptiſmo renunciavimus, qvantò longiùs nos a Deo creatore, JESU ſervatore, & Spiritu Sancto nos ſanctificante arcet, qvantò certiùs bonorum Angelorum excubias nobis aufert, atqve in tartara detrudit.

Ecce fructum *Platonicæ* Philoſophiæ, apoſtaſiam a Deo & cælo ad Satanam & infernum, cui prædam invidet *Apoſtolus Paulus*. Sed dolenda cum primis præda, qvâ ditatur orcus, triumphat perduellis generis humani. Hujus prædæ cauſa olim haut exigua extiterat κενὴ ἀπάτη a *Platone* ac *Platonicis* profecta de *Diis*, *Dæmonibus*, rebus divinis, qvæ aciem mentis humanæ ſupernâ luce carentis longè ſupergreſſę ſunt, de religioſa *Dæmonum* veneratione, aliíſqve ſuperſtitionibus paganis. Tantò autem vehementiùs deceptrix illa *Platonicorum* doctrina ab Apoſtolo fuerat diſſuadenda, qvantò majus Coloſſenſibus novellis Eccleſiæ ſuccreſcentis plantis periculum pertimeſcendum erat a *Platonica Secta*, qvantò majorem ac ſublimiorem ſcientiam rerum divinarum ac ſubtilium præ aliis humi repentibus homuncionibus ſibi iſta factio arrogârat, & deniqve qvantò ditiorem prædam ſæpe fecerat in capiendis imperitis & abducendis incautis a Chriſto ad Satanam, a luce ad tenebras, ab angelis ad dæmonas, a vita ad mortem.

Evidenti exemplo erit *Julianus* IV in Catalogo Cæſarum, qvi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Theodoriti* ſubjungitur. Etenim hic *Apoſtata*, qvem Græci παραβάτην vocârant, a *Maximo Platonico Epirota Iamblichi* Platonicæ ſectæ addicti auditore vaniſſimam pravarum opinionum ἀπάτην edoctus, ſe totum poſtea ethnicæ idolomaniæ, ſuperſtitioni & Chriſtianorum perſecutioni mancipavit. Erat autem hoc totum poſteritatis Platonicæ agmen in tractatione rerum divinarum cuidam eruditæ vanitati

tati vanæq́; impoſturæ adeo deditum, ut *veterum ſcripta obſcuriora de vita & moribus hominum ad numina & Deos referret, humana cum divinis confunderet, animóſqve imperitorum ſupſtitioni implicaret*, qvæ verba ſunt ipſius *Theodoriti.* Qvin & *Auguſtinus* Platonicis nimiùm addictus eſſe videtur, dum plurimùm eos laudat, doctrínámqve *Platonicam* ad Chriſtianam qvàm proximè accedere affirmat lib. de vera relig. cap. 4. item contra Academicos lib. 3. cap. 17. & alibi. Certè Confeſſ. lib. 7. cap. 9. dicit ſe apud Platonicos inveniſſe initium *Evangelii* ſecundum Johannem, non qvidem Evangeliſtæ verbis, ſed æqvipollentibus, & plurima alia Evangelica, qvorum longam telam texit, teſte *Ivaro Stubæo*, Hebrææ lingvæ qvondam Profeſſore in hac Regia Haunienſi Academia, in Diſput. XII. Mart. 1608. inſtituta, Theſi 45.

Haud mirum *Auguſtino* hoc veniſſe in mentem, cùm noſtrâ ætate inveniantur, qvi parabolas Evangelicas nonnullas e ſcriptis Thalmudicis derivent. In qvibus eſt *Robertus Sheringhamius* Anglus, qvi Præfat. in Codicem Thalmudicum *Joma* Sacrificia Judaica tractante e *Julii Conradi Otthonis*, baptizati Judæi, tandémqve Profeſſoris Hebræi in Academia Altorfina גלי רזיה *Gali Raziah*, hoc eſt, occultorum Revelatione parabolam de *divite epulone* & *paupere Lazaro*, *operariis in vineam conductis*, & *divite apparante nuptias* affert, uti narratur *Gali Raziah* cap. 13. Sed ignoravit *Sheringhamius Otthonem* multa confinxiſſe, de ſuo addidiſſe, loca Thalmudis interpolâſſe & mutilâſſe in gratiam Chriſtianorum, qvibus ceu proſelytus palpum obtrudere conabatur. Hoc teſtantur MSta ipſius *Otthonis*, qvæ apud Altorfinos adhuc ſervari memorantur. Deſinant igitur novi Juliani inſultare ſanctis Evangeliis, conſpectâ hac συγκεῖσθαι, ſeu, ut veriùs dicamus, συγχύσθαι. Nullum enim tutum certúmve heic atheis qværitur præſidium, qvô freti lucem veritatis Evangelicæ obſcurent, & tenebris paganis ſe involvant. Faceſſat Platonicum & Thalmudicum Evangelium, & ad ſuos redeat auctores. Dicta ſunto indicta, qvæ homo dicit, ut verba det. Novitas juſto curioſior antiqvæ veritatis Scripturis damnoſa exſulet. Triumphet Chriſti Evangelium, ac Dei verbum inconcuſſum perſtet adverſus omnes Satanæ clandeſtinas artes & aſtus in æternum. His miſſis ad lineam redeamus.

Licèt Patrum dogma de *Angelorum* & *fœminarum* nuptiis, & de *Angelorũ corporibus*, qvoad ἀφορμὴν *Platonicam* excuſari, poſſit a tanto & tali errore,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

rore, neutiqvam tamen ab omni liberaveris. Certè *Philaſtrius Epiſcopus Brienſis* in Catalogo Hæreſium pæne omnium, qve HelmæſtadI editus eſt 1611. eos hæreſeos accuſat, qvi has opiniones fovent. Nam Hæreſi 106. pag. 54. ſic ſcribit: *Alia eſt* Hæreſis, *qvæ de* Gigantibus *aſſerit, qvòd* Angeli *miſcuerint ſe cum* fœminis *ante diluvium, & inde eſſe natos* Gigantes *ſuſpicantur*: cùm *Nembroth non a* Spiritu, *id eſt, non ab* angelo, *ſed ab* homine Chus, *qvi filius fuit* Cham, *natus eſt poſtea, qvi & in Scriptura primus gigas eſt appellatus, qvòd iſte cœpit eſſe venator & fortis homo, ut & Gigas appellaretur in terra: inde dicturi ſunt*, inqvit, *Sicut Nembroth Gigas ita fortis eſt, ſi qvi ei ſimilis in fortitudine poſtea videretur.*

Concluſuri tandem, hanc diſſertationem, vocabimus ad partes Commentarium *Brochmandi* noſtri, Viri de Academia noſtra, Eccleſiis & Scholis, imo de vera religione optimè meriti, in Geneſeos V *caput*: qvi qvoniam necdum editus eſt, e MS^to ſic allegamus. *Prima ſententia* (de filiis Dei & filiabus hominum) *eſt Patrum, Athenagoræ, Tatiani, Clementis, Tertulliani, Lactantii, Cypriani, Juſtini, & ex Judæis, Joſephi & Philonis, qvi nomine* filiorum DEI *intelligentes Angelos, expoſuerunt hunc locum de impuro Dæmonum cum fœminis congreſſu. Certè de Angelis* bonis *accipi non poteſt locus, qvippe qvi lege primæ creationis alieniſſimi ſunt a ſocia illa vita, teſte Chriſto Matth. 22. v. 30. Nec de* malis *angelis explicari poſſunt Moſis verba*, tum qvia nullibi *vocantur* Filii Dei, *qvin potiùs* Filiis Dei *contradiſtingvuntur* Job. 1. v. 6. Matth. xxv. v. 41: tum qvia, cùm ſint ſpirituales ſubſtantiæ, conjugali iſta converſatione non utuntur.

Huic ſuccedat ΟΔΟΣΟΦΙΑ Chriſtiana *D. Johannis Conradi Dannhaweri*, Theologi ut magni, ita a magna fœcundi ingenii δυνάμει εὑρετικῇ, συγκριτικῇ ϗ διακριτικῇ meritò commendabilis, Phænom. III. pag. 200, 201, 202. edit. Argentorat. 1649. *Angeli*, inqvit, *ſunt* Spiritus *Pſal.* 104. *v.* 4. *Matth.* 8. *v.* 16. *Hebr.* 1 *v.* 14. *qvorum natura non eſt* corporea, Luc. 24. v. 39. *conſeqventer non* generativa, *ſiqvidem Scripturæ ſacræ non niſi unum modum propagandi genus humanum revelârunt, nimirum* Act. 17. v. 26. *ex uno* humano *ſemine: modus alter, qvi ſine virili ſemine contingit, non niſi divinum miraculum eſt in conceptione Beatæ Virginis exhibitum*: *non* nutritiva, *tametſi enim in aſſumptis corporibus verè manducent Angeli, uti oſtendit Auguſtinus l.* 13. *de C. D. cap.* 27. *Conf. Rivet. ad cap.* 18. *Gen*: *tamen non nutriuntur*: *non* loco, tempori, *aut* corporeæ *alicui vi* obnoxiæ, *qvo de argumento copioſè diſputat*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſputat Rainoldus in cenſur. l. apocr. prælect. 47. ſeq. omninò legendus. Igitur, cùm in corporibus non raro apparuerint Angeli, *fuerunt illa* aſſumpta, *ac* unita, *non* hypoſtaticè, *cujuſmodi unio eſt inſeparabilis, non* perichoriſticè, *qvia non informant corpora; ſed* parachoriſticè *&* aſſiſtitivè, *qvæ* aſſiſtentia *conſiſtebat in duobus;* 1. *in* motu, *movent ut motores.* 2. *in* repræſentatione, Angeli *a corporibus iſtis qvodammodo repræſentabantur. At qvi ſic etiam pingi poſſunt* Angeli, *non qvia* corporei *ideo pingi poſſunt, uti volebat olim* Taraſius *in Synodo* VII *Nicena,* vid. Rivet. in Geneſ. p. 205. *Sed qvia in* corporea *forma apparuerunt, ideo iſta apparitio pingi poteſt.* Confer *Brochmanni* Epitomen Theologiæ Sect. 2. num. 2. pag. 72. edit. Haun. *Meiſneri* Sobriæ Philoſoph. Sect. IV. pag. 1116. ſeq. *Gerhard.* Comment. in Gen. cap. VI. pag. 174. ſeq. edit. Jenenſ. 1637. Et Iſag. Diſputat. XII. cap. 6. p. 511. edit. Jenenſ. 1645. *Doct. Valtheri,* magnæ eruditionis Theologi, Qvadragenam Miſcellaneorum *Theologicorum* XXIV. pag. 621. edit. Ulm. 1648. Cujus argumenta ſi rectè expendantur, facilis erit reſponſio ad contrariam opinionem, qvam tuetur *Mart. Delrio* Diſqviſitionum Magic. l. II. qvæſt. 15. pag. 332. edit. Mogunt. 1600. His adde *Bodini* Confutat. *Joh. Wieri* pag. 723. edit. Francof. 1590. Problemata *Jani Matthæi Duraſtantis*, Philoſophi ac Medici Sanctojuſtani, *Dæmones an ſint, & an morborum ſint cauſæ*, edit. Venet. ex officina Stellæ, Jordani Ziletti 1567. a p. 27. ad 41.

Atqve ſic ſpectandum propoſuimus *Secundum Vitium* hypobolimæi fœtus, cui falſum Henochi nomen inditum eſt, atqve oſtendere conati ſumus primô qvidem ortu *Judaicum* eſſe, nutricatu verò partim *ethnicum*, partim *Chriſtianum*. Sed illam benignitatem primò *Platoni* ac *Platonicis*, deinde hanc credulam fomentationem ut olim compluribus Patrum, ita virilis ætatis novum ſubinde robur deberi pari conatu monſtrare cœpimus: nunc ſupereſt, ut *Tertium Vitium* ex priori natum ſimili ſtudiô publicis oculis ſubjiciamus.

TERTIUM vitium demonſtraturis occurrit excetra qvondam in Lerna Argivorum palude conſpecta, cui cum unum caput eſſet reſectum, mox tria reſecto ſuccreverant. Error ad inſtar excetræ Lernææ adeo ſui fœcundus exiſtit, ut unô vitiorum amputatô, non tria tantùm monſtroſa capita, ſed complura enaſcantur, qvæ ſpectatores in ſui admirationem tam facili motu rapiunt, ut incautos inficiant. Non aliter atq;

Cum

Cum ſpectent læſos oculi, læduntur & ipſi,
Uvaqve conſpectâ livorem ducit ab uva.

Vitium itaqve TERTIUM e priori jam abſciſſo enatum & multi-
plex & trux cum hydræ hujus formidandis monſtris hoc vivô colore
depinxit perſonatus Henoch p. 73: Πνεύματα πυνηρὰ ἔσονται τὰ πνεύματα
ἐξεληλυθότα ἀπὸ τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς αὐτῶν, διότι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐγένετο, καὶ
ἐκ τῶν Εγρηγόρων &c. πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἔσονται &c. *Spiritus maligni*
erunt Spiritus, qvi exierunt e corpore carnibus conſtante, eò qvòd partim ex homi-
nibus partim ex Egregoris geniti ſint &c. Hi Spiritus mali erunt in terra. Spiri-
tus autem Gigantum diſtributi, injuriam inferentes, deſtruentes, irruentes, collu-
ctantes & curſus facientes &c. variis phantaſmatis illudentes, ſitientes, & im-
pingentes, &c.

His valde affines ſunt Judæorum *Dæmones*, qvos *Joſephus* Hebræus de
bello Judaico *Dæmonia* appellat, qvorum incurſibus vexantur homines,
& ſceleratorum hominum animæ putantur, πνεύματα appellata, qvæ ſeſe
in aliorum corpora inſinuare conſveverunt: τὰ γὰρ καλούμενα δαιμόνια, in-
qvit, πονηρῶν ἐστιν ἀνθρώπων πνεύματα τοῖς Ζῶσιν ἐνδυόμενα καὶ κτείνοντα τοὺς βοη-
θείας μὴ τυγχάνοντας. Qvæ etiam *Juſtini Martyris* fuit ſententia Apolog. II.
οἱ γὰρ ψυχαῖς ἀποθανόντων λαμβανόμενοι καὶ ῥιπτόμενοι ἄνθρωποι, οὓς δαιμονιο-
λήπτους καὶ μαινομένους καλοῦσι πάντες. Nec non Platonici illius Apulei opi-
nio Apolog. part. 1: *At tibi, Æmiliane, pro iſto mendacio, aut Deus iſte Su-*
perum & Inferum commeatur, qvidqvid umbrarum eſt uſqvam, qvicqvid Lemu-
rum, qvidqvid Manium, qvidqvid Larvarum, oculis tuis oggerat, omnia noctium
occurſacula, omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulcrorum terriculamenta, a
qvibus tamen æqvo & merito haud abes.

Vix dubitare licet, qvin mali Spiritus veſtiti parachoriſticis corpori-
bus variorum malorum auctores ſint ac formidandâ πολυμορφώσει obje-
ctorum phantaſmatum oculos mortalium ſubinde perſtringant: tamen
eoſdem ἀνθρωποδαίμονας eſſe, qvod larvatus Enoch ſibi imaginatur, omni
veritatis cœleſtis fundamentô caret: Nam duo tantùm ſubſtantiarum
genera initio condita fuiſſe certiſſimum eſt e Scripturis. Horum alterum
corporale & per illud corpus oculos incurrens, alterum autem incorpo-
rale ac per ſe fugiens aciem humani viſus.

Liberandæ fidei causâ illuſtre Sancti Spiritus oraculum producimus.
Col. 1. v. 16: Ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς,

τὰ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι. Τὰ πάντα δι᾽ αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. Nulla ſanè heic aut ullibi in ſacris monumentis vola aut veſtigium comparet *Anthropodæmonum* geminâ conſtantium naturâ, humanâ & dæmoniacâ, mediâ ſcilicet inter Spiritus & corpora, qvorum ope ſe videndos ac tangendos præbent, nocturnos tumultus excitant, & iter facientibus terrorem incutiunt. Tales fuerunt olim bini iſti homines a Diabolo obſeſſi, qvi e monumentis egreſſi in viatores adeo ſævierunt, ut nemo illàc tranſire auſus fuerit Matth. 8. v. 28. Sed προσκαίρως corpora tantùm erant, qvibus ad tempus utebantur. Nam juſſi Dæmones a Chriſto exire, juſſis actutum parent, & gregem porcorum obſident. Qvocirca miramur ſpiſſum illud larvati *Henochi* mendacium, qvô perſvadere orbi conatur hæc φάσματα & præſtigias committi ab iis Spiritibus, qvi geniti ſunt e matre homine & patre Spiritu.

QVapropter tantùm abeſt, ut *Menaſſe Ben-Iſrael* opinionem approbemus, ut potiùs Spiritui S. in Scripturis auſcultemus. Hic Problemat. 23. de Creatione, docet *Dæmonas, compoſitos ex aëre*, & igne, *divinâ voluntate præeunte, hominibus dominari inſtar carnificum, eos ſibi ſubjugatos habere ac pro meritis plectere, ſi qvando peccando eorum poteſtati ſe dederint. Illos*, inqvit, *vocant* קליפות *putamina, & ajunt, qvemadmodum dantur nucis interiora, qvæ ſunt fructus: ita dantur exteriora qvædam putamina, nempe Spirituum, qvi ſunt tanqvam qvidam mimi aut ſimiæ, qvi pro ſuo more ſemper fictione qvadam imitantur res ipſas, & ſimilia illis facere videri volunt. De his multa* Plato *diſſeruit, qvæ apprime conveniunt cum doctrina Cabaliſtarum.* Hæc *Menaſſe*.

Ceterùm, neutiqvam mirandum eſt, qvòd *Menaſſe* ceu Judæus probet talia *Platonis* dogmata, cùm ex Hebræorum fontibus primùm fluxerint, veluti alibi oſtenſum eſt, & cùm eam ob cauſam Ideæ *Platonicæ* non longè abeant ab hac cœnoſa ſcaturigine. Majori dignum admiratione, qvòd Chriſtianorum qvidam, qvorum oculos ſol veritatis cœleſtis in ſingulos dies, imò horas ferit, mediâ ſacrarum literarum luce circumfuſi tenebras *Platonicas*, imò plusqvam Ægyptiacas heic reſpectent.

Horum cenſui haut immeritò accenſeri poterit *Henricus Nollius* Phyſicæ Hermeticæ auctor; qvi non modò ut *Judæi* & *Platonici ex aëre & igne* tanqvam puriſſimis elementis *Dæmonum* originem ducit, ſed etiam ex *aqva* & *terra*, imò diſertis verbis tradit lib. 3. cap. 1. Axiom. 1. p. 154.

H edit.

edit. Francof. 1619: *Spiritus e ſubtilioribus Elementorum eſſentiis creatos eſſe.* Hos autem cap. 2. pag. 156. diſtingvit in *Superiores* ac *Inferiores*. *Superiores* rurſum ſubdiſtingvit in *Cœleſtes* & *Aëreos*. *Inferiores* ipſi ſunt vel *Aqvei* vel *Terreſtres*. Ad illos refert *Nymphas* & *Sirenes*. Inter hos numerat *Sylphas* & *Pygmæos*, Germanis Schröcklein oder Bergmänlein. *Nulla ars* inqvit, cap. 6. Axiom. 2. *ipſos deficit, qvantùm lumen naturæ permittit. Pecuniâ & artibus abundant, omnes theſauros auri & argenti, omniáqve metalla in ſuo imperio & dominio habent.* Addit *Nollius* Axiom. IV. *Spiritus terreſtres redamant homines, qvi ipſos amant, & oderunt eos, qvi ipſos odio habent.* Confirmat hoc e Paracelſo, cujus verba ita habent: Wer ſich zu jhnen verbindet und verſchreibet/ dem geben ſie Kunſt und Gelts genug. Sie wißen auch unſere Sinn und Gedancken / damit wir ſie dan leichtlich bewegen/ das ſie zu uns kommen: Qvicunqve ſe ipſis ſcriptô obligaverint, eos & artibus inſtruunt & iiſdem pecunias largiuntur. Nôrunt etiam noſtra ſenſa & cogitata, unde facile fuerit eos permovere, ut ad nos veniant. Sed axiomata e *Paracelſo* confirmantia Spirituum terreſtrium indolem, nihil aliud ſunt qvàm venena novis venenis cumulata. Qvalis enim *Paracelſus* fuerit, notavit *Johannes Neander Bremanus* in Antiqviſſimæ Medicinæ Natalitiis Bremæ editis 1623. & dedicatis Sereniſſimo Regi noſtro, Frederico III, cujus imperio Benedictus in ſæcula Deus benedicat. Qvùm, inqvit *Neander* pag. 334. Baſileæ doceret, *de incantationibus qvoqve & exorciſmis morborum magicis agere cœpit: eam rem ægrè ferentibus viris doctis atqve piis, hæc in verba prorupit:* Will GOtt nicht helffen/ ſo helffe der Teuffel / *imitatione nimirum Marovianæ Junonis:*

Flectere ſi neqveo ſuperos, Acheronta movebo.

Et poſtea: *In ſcriptis eqvidem ſuis paſſim adſerit; Chriſtiano homini, citra pietatis injuriam, Dæmonis tanqvam latronis ope, operâ, conſilio uti, divinitus permiſſum.* Imò Magomedicum fuiſſe *Paracelſum docent illæ* ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι, *qvi apud Paracelſum reperiuntur, dum ille extra ſcopum tela mittit, characterúmqve, pentaculorum, ac imaginum magicarum ſtudioſus cum aſſeclis ſuis, Agrippa, Trittenhemio, Suario, Henningo, & aliis ejus curationis adſertoribus, programmata ſyderum gemmis ac metallis inſculpere jubet. Non ignorant doctiſſimi Viri, qvum ſignaculis ac incantamentis curatio perficitur, non inde dimanare vires, ſed maximè ex perſvaſione, cui miſcet virus ſuum mendacii autor ad aucupia animarum.* Hæc ille. Nam tales characteres & magica verba ſive

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſcripta ſive prolata, ſi vim aliqvam haberent, aut illa proficiſceretur ab arte aut natura aut hyperphyſica aliqva virtute. Arti hanc nemo attribuerit, cui unciola rectæ rationis ſuppetit. Neqve naturæ: qvia characteres qvatenus qvanti nullius ſunt efficaciæ. Prolata autem verba mentis tantùm ſunt ordinaria indicia, non extraordinaria occultæ virtutis vehicula. De ſupernaturali bona virtute idem omnis pius facilè negaverit. Illa enim vis aut eſſet a Deo aut bonis angelis. Sed nemo horum ludibriis & præſtigiis peragendis ſuam operam locat. Seqvitur igitur omnem vim aſcribi *πολυτεχνίτῃ Dæmoni*, qvi Epheſias qvondam literas cultores ſuos docuit, qvarum fit mentio apud *Athenæum* lib. 12. ex Anaxila Poëta:

In conſutis ſytariis (i. e. minutis coriis) *literas Epheſias ferens.*

Svidas ſcribit eas fuiſſe *carmina qvædam obſcura, qvæ & Crœſus in rogo recitavit; & in Olympiæ pulvere Mileſiô & Epheſio certantibus Mileſium luctari non potuiſſe, propterea qvòd alter juxta talum* literas Epheſias *haberet, qvibus compertis & demptis concidiſſe Epheſium ferunt.* Cælius Rhodig. lib. 16. cap. 14. harum damnatarum literarum monſtroſa verba recitat.

Sed ut ad auctores harum literarum & aliarum vetitarum artium, nec non ad *Nollium* Spirituum ex elementis conflatorum patronum redeamus; in ordine Dæmonum, qvem concinnavit, inconcinna variorum errorum congeries obſervatur, qvibus refutandis & prolixiùs memorandis ut immoremur, haut patitur inſtituti ratio. Satis fuerit indigitâſſe fontes mali a Platonicis eſſe derivatos per longam annorum & Scriptorum ſeriem ad *Nollium* Hermeticorum & Platonicorum nimium admiratorem. Id modò e *Pſello* oſtendemus.

Pſellus Platonicus ſex Dæmonum genera ſtatuit. Horum *primum lelurion*, i. e. *διάπυρον igneum* vocat, qvòd in ſuperiori æthere verſetur. *Secundum ἀέριον, aërium* in aëre inferiore, qvi nos ambit. *Tertium, τὸ χθόνιον, terreſtre. Qvartum, τὸ ὑδραῖον τε καὶ ἐνάλιον, aqveum & marinum. Qvintum τὸ ὑποχθόνιον, ſubterraneum. Ultimum τὸ μισοφαὲς καὶ δυσαίσθητον, lucifugum, vixqve ſenſu præditum.* Confer *Bulengerum* de licita & vetita Magia c. 24. p. 496. edit. Lugd. 1621. In qvatuor prioribus inter *Nollium* & *Pſellum* eſt conſenſus: additamentum verò duarum ultimarum ſpecierum in *Nollio* non obſervatur.

Qvàm altas radices inveteratus error figat, qvàm latè & diu luxuriet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

dictu incredibile eſt. Id qvod ſuô exemplô docet *Nollius*, qvi errorem de Spiritibus mutuum a *Platonicis* accepit, acceptum ſpecioſis dichotomiis incruſtavit. Sed verò cùm ipſius de *Spiritibus* opinio in nuda eorundem contemplatione verſari videatur, & ſvadeat cuilibet Chriſtiano, ut ſuis elementis contentus *Spirituum* terreſtrium conſortio ne delectetur, imò tutiſſimum putet a Deo precibus impetrare puriſſimorum *Spirituum* præſentiam & auxilium: tolerabiliùs errâſſe cenſendus *Nollius*, qvàm illi, qvi *Spiritus* comites adſciſcunt, actionum præſides, futurorum vates, ablatorum reſtitutores ac familiares conſiliarios cooptant.

Hujus impii ac nefandi vitii *Cardanum* inſimulavit *Antonius Ruſca Mediolanenſis* lib. 4. de Inferno Statu Dæmonum cap. 15. p. 377. edit. Mediolani 1621. ex Collegii Ambroſiani typographia. *Facius* (Hieronymi pater) *Cardanus, qvi multis annis familiari dæmone uſus fuerat, qvam leviter hac opinione procul dubio imbutus aures præbuit illi mendaciorum artifici, cùm patrono ſuo inſinuabat, naſci dæmones humanô more, ſeneſcere & interire? Qvid? eò dementiæ venit Facius, ut conjectâſſe ſe ſcripſerit ex juvenili ſui Dæmonis aſpectu ad ducentos aut trecentos annos Dæmonum ætatem pervenire.*

Sed filium *Cardanum* audiamus ſic loqventem in Libro de propria vita cap. 47. pag. 261. ſeq. edit. Naudæanæ Pariſ. 1643: *Spiritus aſſidentes aut præſidentes (Græci Angelos appellare ſoliti erant, qvidam minùs Latinè Spiritus) faviſſe qvibusdam viris, pro conſtanti, ut dixi, receptum eſt. Socrati, Plotino, Syneſio, Dioni, Fl. Joſepho, ſed & mihi. Omnes qvidem felices vixere præter Socratem, & me, qvi ut dixi optima tamen conditione fruor. At C. Cæſari Dictat. Ciceroni, Antonio, Bruto, Caſſióqve mali, licet illuſtres adfuerunt: Antonio & Ciceroni glorioſi, ſed pernicioſus uterqve: Joſephi præclarus & raræ nobilitatis fuit, bellica virtute, gratia apud Veſpaſianum & filios, ac opibus, monumentis hiſtoriarum, triplice ſobole & pugna cum calamitate ſuæ gentis, tum providentia futurorum, qva illuſtratus eſt in captivitate, liberatus ab inſania propriorum, & ſervatus a maris fluctibus. Verùm Dæmones manifeſtè fuerunt; at nobis, ut credo,* bonus & miſericors ſpiritus. *Mihi fuiſſe, diu perſvaſum eſt: ſed qva ratione me certiorem redderet de imminentibus, non niſi exacto anno vitæ* LXXIV *deprehendere, dum vitam meam conſcribere adortus ſum, potui.* Et pag. 268. *Cognitio incorporeorum & immaterialium mihi tota fuit a ſpiritu per demonſtrationem ſimpliciter. Problemata qvoqve & linguas tametſi loqvi neſciam, ut etiam nec cogitanti occurrant.* Amplificationem *verò &* ſplendorem *partim ab exercitatione,*

tione,partim ab eo accepi, *nam* ſplendori *inhæſi plusqvam* XL.*annis,anteqvam adeptus ſim: ita* conſcribendi omnem artem, profitendíqve extemporanee a ſpiritu & ſplendore *habeo; hoc tamen ſcientiæ genus apud homines, plus invidiæ, qvàm nominis, gloriæ qvàm utilitatis hucusq; attulit; ſed ad voluptatem potius non levem, neq; vulgarem,& vitam producendam contulit, ſolatio in tot calamitatibus, auxilio in adverſis, commodo in difficultatibus atqve laboribus.*

Hæc eſt ipſius *Cardani* de ſuo *Spiritu* familiari confeſſio totidem verbis edita a *Gabriele Naudæo.* Hujus revelationi univerſam rerum, qvæ a corporis concretione liberę ſunt, cognitionem ſuam aſcribit, amplificandi facultatem ac ſplendorem, qvem 40. annos habuit, hujus *Dæmonis* familiari afflatui ſe debere fatetur, huic illuminatæ mentis ſplendorem, artem libros conſcribendi & extemporalem profitendi facultatem ceu auctori attribuit. Tandem voluptatem haut vulgarem & ſolatium in adverſis rebus ex his Scriptis, qvæ talis Spititus & auxit, & illuminavit, ſe percepiſſe impendiò lætatur. Sed qvodnam qvæſo verum lumen? qvis ſplendor ab eo exſpectandus erit, qvi eſt κοσμοκράτωρ τῦ σκότυς τῦ αἰῶνος τούτυ, mundanus induperator tenebrarum hujus ſæculi Eph.6.12. Cujus proprium non illuminare, ſed *occæcare noëmata infidelium* 2 Cor.4.v.4. Et ſi vel maxime ſubinde in *angelum lucis* ſe transformet, 2 Cor. 11. v. 14; tamen imaginaria hæc lux, qvâ ſuos videtur perfundere nihil aliud eſt, qvàm certum pignus *tenebrarum exteriorum*, Matth. 22. v. 13: qvæ eos manent, *qvi ſunt ſine aqva nubes a turbine agitatæ, & qvibus caligo tenebrarum in æternum reſervata eſt* 2 Petr. 2. v. 17. Jud. v. 13. Optandum foret, ut *Cardanus* hoc Spiritu tenebrarum familiariter uſus longe ab illis tenebris abeſſet. Idem fatum præoptandum *Cornelio Agrippæ*, qvi teſte *Paulo Jovio* in Elogiis, & *Bodinô* contra *Vierum* pag. 693. aluit nigrum canem, nomine *Dominum*, qvi in Xenodochio Gratianopoli vita defunctus, coram omnibus ſe in fluvium dedit præcipitem, ab eo tempore poſtea non viſus. Hic tamen fatetur ſe jam conſeneſcentem reſipuiſſe ac nuncium remiſiſſe libris de occulta Philoſophia, veluti nos infrà EXERCITATIONE II confirmatum ibimus, *ipſius Agrippæ* verbis adductis.

Huic Magorum eruditorum pari ut non jungeretur novus *Jambres*, nempe *Theophraſtus Paracelſus*, omnibus bonis in votis erit, modò permiſerit motus ſubinde ab ipſo Acheruns, cum cujus larvis jam bene potus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

luctatus memoratur. Exercitium iis volupe, qvi ſpretô omniſciô & omnipræſenti adorandô Numine, contemptôqve Angelorum præſidio, ſe tartareis palæſtritis committunt. Ab eorum ore pendent, afflatus affectant, conſilia ſectantur, artes amplexantur & ſolamine delectantur. Sed qvô qvæſo pactô *Cardanus* ab ejus Dæmonis familiari ſuggeſtu conſolationem & veram voluptatem ſibi polliceri potuit, qvi eſt ipſiſſimus שֵׁד, Deut. XXXII. v. 17. hoc eſt, perditiſſimus vaſtator? aut ab iis Dæmonibus, qvi ſunt ipſiſſimi שֵׁדִים, *Schedim*, perditiſſimi vaſtatores Pſal. CVI. v. 37. qvos LXXII Interpretes δαιμόνια utrobiqve nominant, qvósqve convenienti idiomate Germanico ſchädliche / & Danico ſkadelige dixeris. Judæi Germani obviam facti Chriſtianis hoc nomine abuſi ſic ſalutant: שֵׁד Willkom / Salus diaboli. Danicè Fandens Welkom / pro, ſeit Willkom / Bene ſalutatus venias. Hi namqve officiô hypocriticô officiunt animabus, & æternæ hominum ſaluti ſimulatô juvandi ſtudiô ſui ſeqvaces latenter ad orcum perducunt. Jure igitur merito diviniſſimus *Johannes* in Apocalypſi huic atrorum miniſtrorum generi verum nomen indidit, qvando Ἑβραϊστί אֲבַדּוֹן & Græcè Ἀπολλύων, hoc eſt, perditorem perditiſſimum appellavit.

Qvod ne gratis dictum putes, adi & audi ſapientiſſimum & perfectiſſimum Ὀνοματοθέτην, Servatorem Jeſum, qvi ſingulari & emphaticô veriverbiô hoc illuſtravit Joh. VIII. v. 44. dicens: Ἐκεῖνος (Διάβολος) ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς: *Ille* (Diabolus) *homicida fuit ab initio*. Hícne ille eſt, qvi verô ſolatiô recreat pectora, calamitatum, ærumnarum & dolorum difficultatibus preſſa? Sit hoc ſolatium penes *Jannem*, *Jambrem*, *Cardanum*, *Paracelſum*, *Agrippam*, alioſq; talis ſolaminis vaniſſimos aucupes. Nonne *Cardanus* aut ullus mortalium ab illo genere dæmonum conſolationem exſpectare habuit in difficultatibus & adverſis, qvos Spiritus veritatis שְׂעִירִים Eſa. XXXIV. v. 14. LXXII δαιμόνια, (Καὶ συναντήσουσι δαιμόνια κενταύροις) Targumim שֵׁדִין vocat, nos verò *horripilantes Satyros* meritò interpretamur? Hæc occurſacula, (venia ſit *Apuleio* audaci verborum fabro) prompta & parata ſunt ad horrorem inferendum, qvando ſeriò agunt, non ſolatium aut gaudium mortalibus afferunt, niſi fucatum & mille ſæpius doloribus emptum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Veluti ergo Judæi, in primis Germani qvatuor parietibus cubiculi, in qvo puerpera decumbit, cretâ ſuperſtitioſè inſcribunt: אָדָם חַוָּה, חוּץ, לִילִית, *Adam, Eva, foras eſto Lilith,* hoc eſt, *Strix dæmonica,* ſive *Lamia nocturna*, a qva Judæi cæcâ credulitate imbuti infantes rapi & occidi opinantur: Sic nos Chriſtiani, qvi primo Adamo 1 Cor. 15. v. 44. in Baptiſmo nomen dedimus, omnéſqve Evæ ſorores, ſi qvando aliqvis dæmon ſe in noſtram familiaritatem & amicitiam inſinuare ſtudet, officia offert, divitias aut variarnm rerum ſcientiam ſpondet, religioſè dicamus: *Exeſto dæmon*; aut cum Chriſto; *Abi Satana*, Matt. IV. v. 19. & homini diabolicum conſortium ſvadenti, *Abi poſt me Satana* Matth. XVI. v. 23. Marc. VIII. v. 33. Luc. IV. v. 8.

Etenim qvam qvæſo tibi ab eo eruditionem & ſolidæ veritatis manifeſtationem polliceberis? qvi operoſè efficax eſt ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, qvô mendacii crimine ab initio fœdatus fuit Johan. 8. v. 44. imò, qvomodo docebit alios, qvi ipſe de DEO, Chriſto & rebus divinis verè nihil novit, & omnium idiotarum poſtremus eſt, veluti Diſputatione publicè a nobis habita Anno 1630. demonſtratum eſt.

Qvemadmodum ὁ κόσμος τὸν Λόγον οὐκ ἔγνω, Mundus λόγον filium Dei non novit Joh. 1. v. 10. ita ὁ κοσμοκράτωρ eundem verè non novit. Notitia angelorum & hominum ad canona cognitionis illius, qvâ DEUS & Chriſtus ſuos novit, exigenda erit. Chriſtus novit ſuas oves, Joh. 10. v. 14. ſed ita, ut ab illa notitia nunqvam abſit amor, qvô incenſus haud recuſat profundere vitam pro ovibus, ibid. Firmum ſtat fundamentum habens hoc ſigillum:

DEUS. NOVIT. SUOS.

2 Timoth. 2. v. 19.

DEus amando ſuos novit; neqve enim in ſola contemplatione verſatur DEI notitia, ſed cum paterno erga ſuos amore & affectu ſemper eſt conjuncta. Satanas autem ſi vel maximè ſuæ ſapientiæ cuncta τὰ βάθη Apoc. 2. v. 14. explicaverit, tamen ejus ſcientia ad illud perfectionis faſtigium aſſurgere non poteſt, ut cognitum DEUM & Chriſtum amet. Et hoc modo *DEI* & *Chriſti* ignarus rectè pronunciatur.

Juxta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Juxta rectæ rationis dictamen certum eſt; *Ignoti* nulla eſt cupido;at noti permagna. Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, teſte *Cicerone* lib. 1. Offic. Nulla autem cogniti Dei cupiditate verâ ducitur is, qvi perpetuô Dei, Chriſti,piorumq́ hominum odiô flagrat. Faceſſat ergo omnis ejus ſuggeſtus de rebus divinis, qvi nihil aliud eſt, qvàm mera tentatio. Faceſſat omnis Dæmonis revelatio.

Bene ac piè in hanc ſententiam loqvutus eſt*Lutherus*,teſte *Kirchnerô* in Theſauro Explication. Artic. pag. 111. edit. Francof. 1566. *His delitiis, omnibus opponatur vox Chriſti*: Habent Moſen & Prophetas. *Item*; Dominus ipſe venit, *hìc tollantur portæ ut intret. Non enim eſt* ſervus, *qvalis Moſes, aut Spiritus miniſtrantes ſunt*, ſed Dominus *ipſe*.

Hæc tradenda & ad poſteros qvoqve propaganda ſunt, ut fugiant & deteſtentur revelationem novarum doctrinarum, & cuſtodiant mandatum illud cœleſte: Hunc audite, *id eſt, Evangeliſtas & Apoſtolos. Hos legant & audiant. Item* V. *Teſtamentum, qvod fert de iſtis omnibus fidele teſtimonium.*

Qvod ſi præter hæc aliqvid revelatur, oportet ut habeant Analogiam fidei, & ſit revelatio intellectus Scripturæ. Alioqvi Diabolica *eſt. Satan* me *qvidem ſæpe tentavit, ſicut &* Auguſtinum, *qvi deprecatur, ne* Angelus *ſibi appareat, ut poſtularem ſignum a Deo. Sed abſit a me, ut huic tentationi aſſentiar. Martyres ſine* Angelorum apparitione *ſolô verbô confirmati, mortem oppetierunt pro nomine Chriſti. Cur non eodem & nos acqvieſcamus? Satis evidens & illuſtris apparitio eſt Baptiſmus, Euchariſtia, Claves, Miniſterium verbi, æqvale imò exſuperans omnes omnium* Angelorum *apparitiones, qvorum collatione Abraham guttulas tantùm & micas habuit.*

Ego igitur non curo Angelos, *& ſoleo Deum qvotidie precari, ne qvenqvam ad me mittat qvacunqve de cauſa. Qvod ſi offerretur aliqvis, non audirem.*

Hæc de fucatis Angelorum *apparitionibus*, qvas ſibimet interdixit *Lutherus*: nunc paucis ipſius ſententiam de Dæmonum ludificantium revelatione audituri. Sic enim ipſe memorat Tom. 1. Jenenſ. fol. 126. in Decalog. Nimiùm credunt, qvi vetulas mutari in catos poſſe credunt, aut qvaſcunqve alias formas, & ad convivia vehi nocte. Et ad hoc eſt expreſſus textus. 25. q. 6. cap. Nec mirum, ne ullus credat, ſunt enim illuſiones Diaboli, non autem res vera. Sicut pulchrè patet ex qvodam exemplo, qvod Johannes Keiſerberg recitat. Qvod qvædam vetula, ut prædicatorem argueret mendacii, qvi talia docuit eſſe falſa, ſerò eô vo-

catô

catô & in oculos ejus ſeſe ungens, ſedenſq; in lintre piſtorio, jamq; volens vehi, ſtatim obdormivit, & qvibusdam geſtibus movebatur, donec caderet de ſcamno, & vulnus capiti infligeret, tandem reverſa ad ſe, convicta eſt de illuſione ex vulnere & caſu, qvantumlibet vidiſſe ſe jactaſſet mirabilia ſua. Hæc *Lutherus.* Qvanti faciendi ſint Anthropodæmones commentitii *Henochi* phantaſticis illuſionibus perſtringentes oculos credulorum homuncionum, hæc vetulæ ludicra, imaginaria itinera & naturalium functionum qvaſi qvædam deliqvia ſomnifera a πολυτεχνίτῃ Diabolo injecta clarè docent. Nunc ad reliqvam *Lutheri* narrationem pertexendam aggrediemur.

Idem (inqvit) *patet ex vitis patrum, de virgine a parentibus ad* S. Macarium *ducta, qvæ ab eo viſa eſt eſſe puella, cùm aliis vana videretur. Et tales præſtigiæ plures hodie qvoqve fiunt, ut ille qvi Judæo debebat, & dormiens paſſus eſt ſibi crus totum a corpore rapi, ut Judæum confunderet. Idem de Monacho qvodam refertur, qvi plauſtrum fœni propè conſumpſit.* Exemplum primum de Judæi debitore extat in famoſiſſimi iſtius Magi *D. Joh. Fauſti* Hiſtoria, qvæ edita eſt Hamburgi 1699. cum admonitionibus *Georgii Rudolphi Widmanni*, & qvidem cap. 44. pag. 166. & ipſi infauſtiſſimo *Fauſto* aſcripta, cui crus a ſe avulſum eſſe imaginabatur Judæus. Poſterius de *Monacho* in Colloq. Menſ. Luth. Talis qvoqve ludibundus fœni heluo fuiſſe memoratur ipſe *Fauſtus* cap. 45. ſuæ Hiſtoriæ: cui novam narratiunculam adjecit *Widmannus* de *Abbate Fuldenſi Erlulfo*, qvi unus omnia hoſpitis cujuſdam fercula & vaſa menſæ impoſita viſus eſt comediſſe, qvæ tamen familiaris Abbatis Genius in aliud conclave domus expoſuerat, ibiq; novam menſam inſtruxerat. Liber iſte plenus eſt talium præſtigiarum Diabolicarum.

Multa, pergit Lutherus, de iis ubiqve referuntur; poteſt enim diabolus ſe mutare de perſona in perſonam, & miris modis ludere ſenſum, de qvo in legenda S. Martini. *Ubi unus omnium ſenſus illuſit, cœleſti qvadam veſte a Diabolo ſub nomine Chriſti donatus. Simile de qvadam moniali, qvæ in ſuo cubiculo ſedens, viſa eſt ab aliis lacinioſô palliô ſeminuda, & bubulo ſtercore caput velata, qvæ tamen ſeſe credebat, & fulgentiſſima veſte ac coronâ aureâ ſedere, a Chriſto decorata.*

Item & illud in legenda S. Andreæ, *qvomodo in forma ſpecioſæ mulieris tantum virum illuſit.* Item *de eqveſtri illo, qvi ſerò in hoſpitium veniens, jucundo convivio inter puellas & choreas & epulas ſibi viſus, mane jacuit in profundo luto, eqvus ejus ad arborem jejunus ligatus.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Sed omnium efficaciſſimum eſt, qvod in legenda S. Germani Altiſiodorenſis Epiſcopi, (*vide catalogum Sanctorum lib. 6. cap. 9.*) *cùm enim aliqvando hoſpitatus fuiſſet, & jam dormituri adhuc menſam pararent ſuis* (*ut reqviſiti ab eo dicebant*) *vicinis in nocte futuris.* Tandem ille venientes adjuravit, excitato patrefamilias cum ſuis, percontatus an noſſent iſtos? Illis verò aſſerentibus, juſſit ut ad vicinos irent videre, an domi eſſent. Et inventi ſunt omnes dormientes in lectis ſuis. Et ſic evidenter illuſio Dæmonum & patuit & diſparuit, eô jubente.

At ut contentioſis qvoqve ſatisfaciam. Dicunt enim mulieres in catos fuiſſe mutatas, eô argumentô verum eſſe, qvòd qvidam audaculus in vacua domo dormiens, plures vulneraverit tales catos, mane autem factô, multæ vetulæ ſint inventæ ſic mutilatæ. Vel enim id fictum eſt, vel Dæmones verè vetulas ipſi vulneraverunt, ut rei mendaci fidem facerent, ac ſi verè vetulas ille vulnerâſſet, qvi catos (id eſt Dæmones) viſus eſt vulnerare. Poteſt, inqvam, fieri, ut vetulæ in ſomno vel ecſtaſi diſcurrere, vulnerari ſibi videantur, cum tamen in lecto jaceant qvietæ, & verè vulnerentur a Dæmonibus, ut poſtea credant ſeſe verè diſcurriſſe & ab alio vulneratas.

Tale eſt qvoqve de eqvitando ſuper ſcopis. De *Herodiade* & Laribus ſatis manifeſtum eſt, ſcilicet eſſe Dæmones.

De *Incubis* & *Succubis* tradunt inſignes autores, qvòd poſſit Satan in ſpecie mulieris ſuccumbere viro, & acceptô ſemine rurſum incumbere fœminæ, & ita generare, ſed monſtra, non hominem verum. Sed hoc ſemen aliunde acceptum, qvia nunc paterni nunc materni ſeminis vices ſubit, patris aut matris munus in generando obit, Dæmoni incubo vel ſuccubo neqvit aſcribi, adeóqve nec ipſe verè generare dici poteſt. Sed pergit *Lutherus*. Sic enim ſollicitavit qvendam Eremitam uſqve ad obſcœnitatem, & poſtea evanuit, ut recitat S. Johannes primus Eremitarum apud Hieronymum. Qvin dicitur qvandoqve Diabolus in ſpecie infantis fuiſſe, & vix qvinqve nutrices ei ſatisfeciſſe. Gen. c. 6. Tom. 1. fol. 106. Hactenus *Lutherus*.

Sed qvid attinet extera exempla hujus ludionis qværere, cùm patria ſuppetant. Iter noctu ſuſcipientes duo viri fidei ſpectatæ, ut Sacerdotem periculoſiùs ægrotantem viſitarent. Intercurrit nocturnum aliqvod occurſaculum porci fictâ ſpecie uſum. Subverti cœpit currus a ſub-

ſubeunte ſuccuſſatore, virorum alterô ſedibus ſuis excuſsô humiqve proſtratô. Alter curru deſcendens impetuoſum hunc porcum inſeqvitur, prehendit, in vicinum amnem projicit. Is enatando in proximum dumetum ſe abdidit. En Dæmona ſordidiſſimi animalis ſimium. Id qvod ipſe diſſimulare nec voluit, nec fortè debuit, ita volente Deô. Accidit enim aliqvot annis ab iſta eluſione, ut homo qvidam obſeſſus ab Epiſcopo Sædlandiæ Viro ut pietatis ita profundæ variæq; eruditionis laude claro in conclave qvoddam ſuum admitteretur, ut fuſis precibus malignus dæmon cederet. Intervenit Vir pius priùs ab hoc ſpectro vexatus. Qvem conſpectum effuſis cachinnis excipit obſeſſus, eíqve in memoriam revocat nocturnæ ludificationis geſta, ſeq; ejus auctorem fuiſſe exſultim proclamat.

Nobis anno 1625 iter facientibus Roeſkildia Snoſdorpium, & ſomno oppreſſis circa Warlø pontem celebrem nomine ſtructuræ admirandæ ſolis ſaxis grandiuſculis ſine calce ita conferruminatæ, ut æternum ſit opus, ſiſtebatur eqvorum curſus adeo ut nec aurigæ flagro nec minaci incitamento poſſet promoveri. Excitati e ſomno audimus aurigæ diras minas: qvi cauſam rogatus reſpondet eqvos & currum inhiberi. Diris abſtinere jubetur; cumq; nihil exſecrabili & minaci ſuâ aurigatione proficeret, nos prehenſis habenis Deo & הַגּוֹאֵל noſtro confidentes dicimus:

ITE. IN. NOMINE. JESU. CHRISTI.

Mox dictô ociùs eqvi proruunt, curſum conſvetum accelerant, ac iter proſpere ſuccedit. Hâc fiduciâ læti ſanctum hymnum ceu epinicium Deo canimus. Longiùs verò diſſitus nocturnus ille ludio in effuſum riſum ſolvitur, qvem tamen nos ipſi non audivimus, ſed finitô hymnô ſe audîſſe retulit auriga. Ecce qvàm fortiſſima turris ſit nomen JEHOVÆ & Servatoris JESU, ad eam feſtinabit juſtus, & in munito loco collocabitur Prov. 18. v. 10. Non eſt igitur, ut ſpectrorum terriculamenta ſubvereamur, qvi ſanctorum Angelorum excubiis cingimur in viis noſtris Pſal. 91. v. 11. 4 Reg. 6. v. 15, 16. Dudum enim contritum eſt caput ſerpentis Gen. 3. v. 15. ab eo, qvi exſpoliavit τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισε ἐν παῤῥησίᾳ triumphans de illis per ſeipſum Coloſſ. II. v. 15.

Sed verò gratis iſte Alaſtor non ſolet peragere comœdias. Hiſtrio iſte Comœdias ſuas tartareâ qvadam tragœdiâ terminare ſolet. Qvòd ſi uni viſus ſit profuiſſe in iis qvæ corpus ſpectant, duobus aut pluribus eo ipſo obeſſe, eorumq; tam corpora qvàm animas in ſuam poteſtatem redigere ſtudet. Liberandæ fidei cauſa *Joannis Georgii Godelmanni J. U. Doctoris* teſtimonio modò dicta confirmabimus. Nam Tractatu de Magis, Veneficis & Lamiis lib. 1. cap. 1. pag. 9. & 10. edit. Francofurt. ſic ſcribit: Ut Diabolorum ſævitiam & impiorum pœnas accuratiùs conſideremus, & in timore Dei vivamus, qvatuor hiſtorias adjiciam diligenter omnibus perpendendas.

Joachimo I. *Electori Brandeburgico* nupta fuit *Joannis Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Regis filia Elizabetha*, cui, ut alimenta ſe mortuô, Regina haberet, oppidum Spandaco ad Suevi & Haveli confluentem maritus attribuit, in quo oppido, ipsâ adhuc vivente, miles qvidam per Marchiam iter faciens, cum morbô impeditus detineretur, decumbens, tradidit crumenam pecuniâ refertam hoſpitæ aſſervandam. Poſt aliqvot dies, cum convaleſcit, repetit ſaccum. Mulier avara cum ægrè tantam prædam amitteret, deliberat cum viro, utrum reddere debeat. Ineunt conſilium, ut mulier neget depoſitum. Qvare cum miles ſuum repeteret, illa confidenter negat ſe qvidqvam accepiſſe, ſimulat ſe mirari impudentiam militis, qvi auſit flagitare, cùm nihil dederit adſervandum. Miles indignitate rei motus, objicit viciſſim hoſpitæ perfidiam. Qvare maritus tanqvam defenſurus ſuam conjugem, extrudit militem domô. Is ante fores irritatus ſcelere hoſpitæ ſtringit gladium, veluti impetum facturus in virum & ferit januam. Hoſpes implorat fidem vicinorum, & qveritur ſuas ædes oppugnari. Accurrunt lictores, & militem, qvòd vim publicam feciſſet, abducunt in carcerem. Poſt aliqvot dies Senatus oppidi aliò mittit narrationem facti, & ſententiam perſcribi petit. Conſtabat ædes publicè oppugnatas eſſe. Qvare fertur ſententia, ut miles ultimô ſuppliciô afficiatur. Cumq; jam inſtaret dies judicii, venit diabolus in carcerem ad captivum, indicans ei, qvam ſententiam judices laturi ſint, & pollicetur ſe hôc periculô eum liberaturum eſſe, hac conditione, ut ſe diabolo dedat. Miles conſtanter reſpondet, ſe potiùs moriturum eſſe, qvamvis ſit innocens. Cum verò diabolus multis verbis exaggerâſſet periculum, nec tamen inflexiſſet militis animum, tandem pollicetur ei libe-

liberationem ſine ulla conditione. Et cum veneris, inqvit, in judicium, dic te imperitum eſſe forenſium negociorum, & patronô indigere; ibi aſtabo cœruleô pileô tectus & ornatô pennis. Pete igitur, ut me jubeant cauſam dicere. Miles qvi hoc ſine impietate facturus videbatur, ait ſe hoc conſiliô uſurum eſſe. Poſtridie in judicium ducitur, adeſt etiam orator tectus cæruleô pileô: ibi cum actor peteret militem propter vim publicam capitali ſuppliciô affici, miles reſpondit, ſe imperitum forenſium negociorum petere, ut liceat iſti ſuo advocato pro ſe dicere; concedunt Judices. Ibi diabolus de jure eruditè diſputat, non eſſe capitali ſuppliciô afficiendum eum, a qvo non ſit ortum rixæ & tumultus initium, ait ab hoſpite militem vi extruſum & ſpoliatum eſſe, jubet qværi ſaccum & locum monſtrat. Ibi cùm hoſpes vehementer negaret, addens etiam diras imprecationes, ut ipſum abreptum diabolus perderet, ſi feciſſet. Hanc imprecationem cum imprecatione diaboli cum aliqvoties repetiviſſet, ibi cauſidicus omiſsâ jam diſputatione forenſi adoritur hoſpitem, & comprehenſum per feneſtras & medium forum, omnibus perhorreſcentibus, cum fragore abducit, nec poſtea unqvam corpus hoſpitis inventum eſt.

Ecce furti, perfidiæ, injuriæ, falſitatis, avaritiæ, mali doli, perjurii, animæ dirâ exſecratione diabolo devotæ, pro qva Chriſtus mortuus fuit, qvam in baptiſmo & verbo ſalutari ſibi ſponſam copulavit, qvam ſpe adeundæ æternæ in cœlis hæreditatis erexit, erectam ab orco ad cœleſte beatorum conſortium evehere ſpopondit, corporis, qvod Dei domicilium, pietatis & omnium virtutum Chriſtianarum aſylum eſſe deberet, qvippe ſanctorum Angelorum præſidiô cingendum, tyrannidi avernalis Abaddonis mancipati mercedem æternùm dolendam. E diverſo, ô militem conſtantiſſimum Dei cultorem, dati Chriſto in Baptiſmo nominis fideliſſimum defenſorem ac tutorem, ô triplex circa pectus militare inexpugnabilis fiduciæ robur! maluit ſangvinem fundere qvàm a ſangvine Chriſti vel latum pilum dimoveri, aut a Chriſti vexillo ad Satanæ caſtra transfugere. Sed miles ut laudem conſtantiæ meretur, ita culpâ haud vacat impatientia & furor ejus militaris ſub initium litis de repetundis pecuniis: cujus culpæ pœnas luit in carcere. Qvemadmodum hujus ferociam cane & angue pejus odiſſe oportet: pari ſtudiô fidei conſtantiam imitari convenit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Godelmannus geminam narrationem huic ſubjungit: *alteram* de dæmonum convivio ac comeſſatione in cujuſdam nobilis Sileſii ædibus cujus Satanici conventus cauſa penes ipſum nobilem, qvi abſentibus convivis irâ percitus prorupit in hæc deſperata verba: *Veniant omnes dæmones, ſi vocati nolint.* Vocanti actutum parent, veniunt, comeſſantur, bacchantur, vociferantur, & fugientibus domeſticis capita urſorum, luporum, felium, hominum per feneſtras exſertantur, pocula & fercula monſtrantur. Cunctis abſentibus, unicus domi relinqvitur infans, qvem ſervus præviâ precum devotione domum ingreſſus eripit cuidam dæmoni, patriq; reſtituit. Hæc ſpectra paucis elapſis diebus evanuerunt. *Alteram* addit de ſponſa divite, qvæ fidem conjugalem ſponſo dedit additâ hac conditione, ut ſi alteri nuberet, optaret ſollemni nuptiarum die Satanæ tradi. Tandem incurioſa tam nefandi voti Sileſia hæc Sponſa nubit alteri, & nuptiali die a duobus hoſpitibus ſub ſpecie duorum eqvitum exceptis, qvorum alter binis cum Sponſa ductis choreîs, eam tanqvam ſibi devotam avexit.

Cavete Chriſtiani ab impiis exſecrandæ lingvæ verbis, qvibus unâ ſæpe horâ decies vos Satanæ devovetis, atqve ſic fidei Deo in Baptiſmo datæ immemores Chriſto renunciatis. Qvamvis autem Satanas ἀυτοπροσώπως vobis non adeſſe videatur, voſq; ſtatim impii voti compotes faciat: tamen qvi exſecrabilium horum votorum auctor eſt, longè a vobis abeſſe neqvit, qvorum lingva malefica accenſa eſt ab igne gehennæ Jacob 3. v.6. id qvod triſte obſeſſi apud nos hominis exemplum docuit, qvi exſecrandô votô Abaddoni aditum patefecit ad ſubeundum ſuum corpus, illudq; vexandum. Sed precibus cujuſdam Laici ſeu civis Haunienſis victus ceſſit.

Neqve enim ſolis ſacri ordinis hominibus ſub initium naſcentis Eccleſiæ a Deo conceſſa fuit facultas ejiciendi dæmonia, ſed etiam aliis credentibus. *Signa*, inqvit, Chriſtus, *eos qvi crediderint, hæc ſeqventur: per nomen meum dæmonia ejicient, novis lingvis loqventur*, Marc.16. v.17. Cavete etiam vobis, qvi ſervi Chriſti auditis, ne unqvam dæmonas adſciſcatis ſervos. Nocebit iſtud ſervitium non corpori ſolùm ſed & animæ libertati, qvâ Chriſtus vos donavit.

Exemplum hujus rei non eſt ut longè arceſſamus. Paucis abhinc annis qvidam *Sched* ſeu *Lar* ruſticæ alicujus familiaritate uti cœpit, & credulæ

dulæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

dulæ non nihil officii brevi præſtitit, donec morbô affligeretur. Ægrotanti apparet ultroneus hic dæmon formâ ſervi adoleſcentis aſcitâ, excuſans ſe morbi cauſam non eſſe. Qvâ factâ excuſatione evanuit ac in poſterum ſervire deſiit. Moritur tandem deluſa. Paſtor Eccleſiæ Krommendorpiæ *Dn. Janus Friderici Splet* rumore hujus mali tùnc primùm manifeſtati excitatus, & gloriæ divinæ zelô accenſus valde detonuit in præſtigias diabolicas, auditores ab illis vehementi adhortatione dehortatus. Qvô Legis malleô tuſum pectus filii, qvi ad eam ætatem accreverat, ut famam matris tueri poſſet, Paſtorem e veſtigio ad Præſidem arcis Andreaſilvanæ Nobiliſſimum *Dn. Wenceſlaum Rotkirch* eqvitem auratum, b. m. de vitiatâ & corruptâ materni nominis famâ pravè defert. Qvid accidit? Eodem die, qvo acciti ambo erant, ut cauſa apud Præſidem cognoſceretur, cum actor totus irâ excandeſcens iter ingreditur, in viâ fulmine tactus concidit, & ſic cum exhalato ſpiritu exſpiravit furor adverſus Dei verbum & ejus Miniſtrum. Optandum foret, ne fucatô brevis temporis ſervitiô officioſus genius binas orco animas lucratus fuiſſet.

Vos autem fideles CHRISTI ſervi in excubiis vigiles ſtate armis ſpiritualibus ſtipati, gladiô Spiritus inſtructi, conſtantis fidei ſcutô protecti, ſuſpiriis precum ad Deum fuſarum ceu amuletis præmuniti, credite vos Chriſti meritô & ope adverſus Principem tenebrarum victoriam reportaturos, atqve ejus inſidiis ac laqveis declinatis, de ipſo Dracone ſuperato, exterminato ſedibus ſuis cum omni veneficorum & ſagarum avernali agmine triumfaturos, licèt fremat orbis malignus & orcus, & diabolus inſtar leonis circumeat ad devorandum mortales 1 Pet. 5. v. 8, 9. Huic pietatis officio religiosè & opportunè conſecrari poteſt formula precum, qvarum uſus fuit olim in Marchia pro obſeſſis. Hæc autem deſcripta invenitur in devoto Tractatu, qvem concinnavit *Adamus Crato Northuſanus Superintendens Coalbyenſis*, inſcripſit Exercitium devotionis Chriſtianæ, & Magdeburgi edidit Latinô & Germanicô idiomate 1595. Nos latinam formulam ex eodem excerpſimus, ac nova luce publicè donandam cenſuimus.

JESU redemptor unice,
Qvi conterendis viribus

Draco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Draconis, es DEUS ac HOMO,
Audi preces qvas fundimus.
Draco malignus Spiritus
Immanis ceu rugiens leo
Iras truces ſpirat, ſerit,
Lites, vomit blaſphemias.
Nunc caſtra faſtu turgidus
In cor locat mortalium,
Tuúmqve plaſma turpiter
Deformat, occupat, tenet.
Ah cur ſiles? an non vides?
Oculis qvibúsve conſpicis?
Certè vides, qvem nil latet,
Oculóqve dextrô conſpicis.
Ergo increpato beſtiam,
Et pelle juſſu hoſtem tuo,
Tuúmqve plaſma vinculis
Exſolve ſpiritus trucis.
Tibi ſacrato corcula
Qvæ dirus expugnat Draco
Sint templa Spiritus Dei,
Sint regni & hæredes tui.
Arce ſagas, veneficos,
Citiſqve pœnis ſubjice,
Ne carminis culpâ ſui
Perdantur æternaliter.
Cedat tuæ potentiæ
Hoſtis ferus: noſtris ſuas
Jungant preces præconiis
Vinclis ſoluti averniis.

Hâc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Hâc formulâ ceu ariete expugnandi Satanæ, ſcutô contra diaboli ingruentem tyrannidem & ſacrô *amuleto* adverſus occultas Dæmonis deceptoris impreſſiones piè in vera vivâq; fide utere Chriſtiane, & divinæ tandem manus virtutem prædicabis. Experitor, probatum eſt.

Huic περιάπτῳ junge SS. Trinitatis, nec non matutinum & veſpertinum *Lutheri Sigillum* :

IN. NOMINE. PATRIS. FILII. ✠ ET.
SPIRITUS. SANCTI.

Imò Lutheri oppidò commendabile & ſalutare *Phylacterium* manè & veſperi pectori adhibendum & toti homini devotè applicandum : *Ego corpus meum & animam meam in ſanctas & potentes tuas manus commendo: ſanctiſſimus tuus Spiritus, boni tui Angeli nunqvam a verè tuis, meis, aut me diſcedant, ne qvid peccatum, caro, mundus aut Satan in verè tuos, meos aut me poſſint Amen.* Sic diductiùs mentem precantis *Lutheri* explicandam cenſuimus.

Qvòd ſi verò ſcire aves, pie Chriſtiane, qvodnam inter omnia *amuleta* primas teneat, ea procul omni dubiô eſt precũ formula conceptis Chriſti verbis propoſita atq; diſcipulis & primorum temporum & ſeqventium ætatum commendata Matth. 6. v. 9. ſeq. Luc. 11. v. 2. ſeq. *Pater noſter qvi es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum, ut in cœlo ſic & in terrâ,* &c. *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Hoc *amuletum* non modò malorum *averruncum* exiſtit, ſed etiam bonorum *phylacterium.*

Sed de *Tertio vitio* ficti *Henochi* ſatis dictum eſt: nunc ſtilum promovebimus ad deſignandum *qvartum* ejuſdem *vitium.*

QVARTUM VITIUM perſonatus Henoch ſic indigitat: Καὶ ἀπὸ ἡμέρας καιροῦ, σφαγῆς, καὶ ἀπολείας, καὶ Θανάτου τῶν Γιγάντων, Ναφιλὴμ οἱ ἰσχυροὶ τῆς γῆς, οἱ μεγάλοι, ὀνομαστοὶ τὰ πνεύματα τὰ ἐκπορευόμενα ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν, ὡς ἐκ τῆς σαρκὸς ἔσονται ἀφανίζοντα χωρὶς κρίσεως, οὕτως ἀφανίσουσι ἕως τῆς κρίσεως τῆς μεγάλης. Viden', hujus deceptoris maligni ſpiritus, qvibus *Giganteum* nomen ſuprà indidit, *occidi, perdi,* & *mori* ſuſtinent? Haut ſuffecerat huic impoſtori *Giganteis iſtis Spiritibus* accerſiſſe genituram e ſpecioſis fœminis matribus & delinqventibus ætate Jared Angelis patribus, niſi eorundum cæde, perditione, & morte monſtrificam hanc ſtirpem & originem coronâſſet.

Verùm enim verò hujus monſtroſæ opinionis primos natales à Ju-

dæis noſtrô more deducere annitemur, ut ſcopo *Aſſertionis* ſeqventis *Qvartæ* noſter labor & ſerat & metat.

QVARTI *hujus vitii* teſtem & interpolatorem producimus *Rabbinum Amſtelodamenſem Menaſſeh Ben-Iſrael*, qvi Problemate 22. de Creatione pag. 89. cit. edit. ſic ſcribit: *De hoc genere angelorum antiqvi* (Hagviga cap. 2.) *varia narrant: nimirum eos* cibis veſci, generare, & mori inſtar hominum, *alis præditos eſſe, & ex unâ parte mundi volare in aliam, qvin & ſæpius etiam audire qvæ futura ſunt. Et alibi ajunt, eos cum apparent uni tantum homini, noxios eſſe & damnum inferre: cum duobus apparent, innoxios eſſe, tribus autem ſimul hominibus nunqvam apparere. In admirabili autem libro* Zoar *varia dicuntur de illis, & in ſpecie qvidem, qvod alii ſint Spiritus* aëris, *alii* ignis; *idqve probant ex Pſalmiſta, fecit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos* flammam ignis. Pſalm 104. Confer *Buxtorf*. Lexicon Talm. & Rabbin. in Rad. שור

Ut autem hæc meliùs intelligantur, obſervandum eſt, qvòd eodem Problemate Menaſſe Ben-Iſrael *tres Gradus Angelorum* cum ſuis Theologis conſtituat: *qvorum eſt* primus Intelligentiarum *a materia ſeparatarum*; *qvales eſſe ſtatuunt* qvatuor *illos*, Michaelem, Gabrielem, Refaelem, *&* Urielem; *qvi omnes* (verba ſunt *Menaſſis*) *uti in Pirqve a* R. Elieſer *traditur, circumſiſtunt thronum divinæ majeſtatis. Illi autem, qvi ſunt ex hoc ordine, non poſſunt comprehendi corporeis ſenſibus, ſed ſolùm in prophetica viſione. Sic angelus apparuit Abrahamo, cum filium vellet immolare: ſic apparuit Jacobo paſcenti oves Labanis, & in viſione ſcalarum; ſic etiam Moſi in rubo, Jehoſuæ in Jerickunte, & Jezeckieli & Zachariæ viſus eſt. Nullus iſtorum angelorum unqvam viſus eſt Prophetis: ſed tantummodò ab iis, qvando in apparitionibus iſtis intellectus eorum elevabatur ad ſpiritualem contemplationem, vox angelorum audita eſt; ſicuti etiam a Moſe ingrediente tabernaculum, tantùm audita vox fuit ex interioribus partibus ſacrarii.*

Secundus gradus *angelorum eſt*, מלאכי השרת angelorum miniſterii. *Hi ſunt legati & miniſtri, qvos condidit Deus ad regendum mundum. Id eſt, eos qvi ſanctimoniæ & pietati operam dant: idcirco à Pſalmiſta dicitur, angelis ſuis præcipiet de te, ut te cuſtodiant in omni via Pſalm 91. v. 11. Tales nonnunqvam viſibiles formas aſſumſere, & apparuerunt Prophetis. Ex hoc ordine illi fuerunt, qvos Abrahamus hoſpitio excepit, & ille qvi luctatus eſt cum Jacobo, qvique viſus eſt Agari, Gideoni, Manoacho, & famulo Prophetæ Eliſæi. Cum Abrahamus diceret ſervo ſuo, Deus emittit coram te angelum ſuum Geneſ. 24. v. 7. intelle-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

tellexit aliqvem ex angelis: Similiter etiam Daniel, Deus meus emiſit angelum ſuum, qvi occluſit os Leonis Dan. 2. Ex hoc ordine etiam fuerunt illi, qvi Jacobo obvii fiebant in via ſive itinere. Hi verò, qvia habitant ſupra orbes, vocantur exercitus cœlorum.

Deniqve tertius gradus *eſt* ſpirituum ſublunarium, *qvi ſunt miniſtri & executores divinæ iræ & juſtitiæ. Hos appellarunt antiqvi* מלאכי חבלה angelos damni *& alio nomine* מלאכי מות angelos mortis; *uti etiam* שטנים ומזיקים. i.e. tortores, & carnifices: *nam illi ſumunt de malis ſupplicia, & aſſiduè inqvirunt in hominum peccata. Hujus ordinis angelus ille fuit, qvi maxima clade concidit caſtra regis Aſſyriorum. Ex hac claſſe fuit, qvem vidit David tenentem ſtrictum mucronem adverſus Hieroſolyma. Ex his fuit ille qvi tanto damno Jobum affecit, eúmq; adeò graviter afflixit: uti etiam ille qvi viſus fuit aſinæ Bileami, & illi ſex viri armati, qvos vidit Iehazqvel.*

Complura occurrunt in Rabbini hujus diſcurſu digna ſeveriore animadverſione, & indigna tam celebri Legis Doctore.

Primum, ut ex libro Zoar cudat alios *igneos* alios *aërios Angelos*, violentâ manu ad illud trahit dictum Pſalm 104. v. 4, *Faciens angelos ſuos Spiritus, miniſtros ſuos* (מְשָׁרְתָיו) *ignem flagrantem.* Qvàm improba ſit hæc probatio oſtendit ex eadem gente *Rabbi Ben-Maimon*, qvi de Fundam. Legis cap. 11. num. 4. & 5. pag. 15. edit. Vorſt. 1638. rectè ſic ſentit: *Qvidam habent formam abſqve ullâ omninò materiâ, vid. Angeli: qvia non ſunt corpora, ſed formæ diſtinctæ ab invicem. Qvidnam eſt iſtud, qvod Prophetæ ajunt, ſe vidiſſe* angelum ignis *& præditum alis? Hoc omne (dicitur) in* viſione propheticâ *&* modô parabolicô; *ad indicandum, illos non eſſe* corpora, *neqve* graves *inſtar* corporum gravium. *Eodem modô dicitur: Dominus Deus* ignis conſumens: *Deut. 4. v. 24. ipſe autem non eſt* ignis, *niſi* metaphoricè: *ſic qvoqve dicitur: fecit angelos ſuos* ventos. *Pſalm* 104. *v.* 5.

Ecce Judæum Judæi caſtigatorem. Nos huic exegeſi duo addimus: *Alterum*, cùm textus Deuteronomii addat, אֵל קַנָּא *Deus Zelotes*, notat nihil aliud innui ignis conſumentis notione, qvàm iræ divinæ excandeſcentiam erga violatores legis & ſculptilium cultores, veluti præcedentium & conſeqventium σύγκρισις clarè evincit. *Alterum*: cùm antiqvi *dierum thronum flammas ignis* & *rotas ejus ignem ardentem appellat Daniel, &* fluvium ignis *emanare à facie ejús* docet cap. 7. v. 9, 10:

non

non tam ipſam *flammam* propriè ſic dictam aut *ignem* propriè ardentem, qvàm clariſſimum lumen ab illis reſplendens oculis noſtræ mentis intuendum proponit. Qvæ enim de Deo ἀνθρωποπαθῶς & juxta morem hujus ſæculi dicuntur, intelligi debent Θεοπρεπῶς, ut divinam decet Majeſtatem. Sic flamma ignis fulgentiſſimam & lucidiſſimam Angelorum indolem denotat.

Secundum, qvando *Menaſſe* ſeqvutus cœcutientes duces *tertio* huic Angelorum generi diſtinctum ordinem tribuit ratione *miniſterii*, illóſqve vocat מלאכי השרת *angelos miniſterii* ſeductus à ſuis Magiſtris vehementer errat: cùm omnes Angeli ſint Spiritus *miniſterii*, qvia Deo miniſtrant, divino Paulo λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν Hebr. 1. v. 14.

Ne verò videamur ſolô novi Teſtamenti teſtimoniô pugnare contra Hebræum novi Fœderis oſorem: ecce Davidicam ipſius æternitatis δοξολογίαν angelorum *miniſterii* teſtem Pſal. 103. v. 18, 19, 20: *Dominus paravit in cœlis thronum ſuum: & regnum ipſius in omnes eſt dominatum. Benedicite Domino angeli ejus*, fortes *robore* facientes verbum ejus: ad audiendum in voce verbi ejus. *Benedicite Domino omnes* exercitus ejus: miniſtri ejus facientes voluntatem ejus. Viden', *angeli Domini*, *omnes exercitus ejus miniſtri* ſunt Davidi, & qvidem illi Jehovæ ſervientes, qvi in cœlis paravit *thronum ſuum*. Non ergò *qvatuor* ſolummodò thronum Dei cingunt, ſed *omnes exercitus* ejus: id qvod ut diſtinctiùs ac uberiùs dilucidetur, ad *Tertium* noſtræ animadverſionis momentum accedimus.

Tertium, qvòd non qvatuor tantùm angeli ſc. *Michael*, *Gabriel*, *Rephael & Uriel circumſiſtant thronum divinæ Majeſtatis*, uti cum *R. Elieſer* in *Pirqve* ſentit *Menaſſe*, ſed innumerabiles myriades Angelorum ſe ſiſtant Antiqvo dierum ac throno ejus, docet nos illuminatæ mentis *Propheta Daniel*, cap. 7. v. 9, 10: *Videbam*, iuqvit, *donec throni elati ſunt*, & *antiqvus dierum ſedit: veſtimentum ejus ſicut nix candidum, & pilus capitis ejus ſicut lana pura, thronus ejus* flammæ ignis, *rotæ ejus* ignis ardens. Fluvius ignis *manabat atqve exibat à facie ejus*, millia millium miniſtrabant *ei*, & myrias myriadum coram eo ſtabant.

Qvartum, qvòd *qvatuor* angeli modò nominati non fuerint immunes à muniis circa homines & alia in terris expediunda negotia, aut qvòd throno Majeſtatico qvaſi alligati ſemper hæſerint, uti Menaſſi & Elieſeri viſum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

viſum eſt, qvibus thronum Majeſtatis adeò fixi ac perpetui circumſtare putantur, ut non illi, ſed מלאכי השרת, *angeli miniſterii* legatione fungantur ad homines, aſſertio eſt, qvam ipſe *Gabriel Angelus* propriô ſuô exemplô refutat. Nam *Gabriel Angelus* mittitur ad *Danielem* ceu interpres viſionis, qvæ Videntis oculis obverſabatur Dan. 8. v. 16. cap. 9. v. 21, 22. Ut nîl dicamus de *Gabriele* ablegato ad Mariam. Luc. 1. v. 26. de *Michaele Archangelo* dimicante cum Diabolo Jud. v. 9. Raphaele *Tobiæ* angelo comite, ſenioris *Tobiæ* Medico, & Aſmodæi dæmonii mali domitore Tob. 3. v. 25. De *Uriele* Eſd. lib. 4. cap. 4. v. 1. ſeq.

Qvintum, qvando *Ben-Iſrael* ſeqvutus antiqvos, tertio huic igneorum & aëriorum ordini acceptam refert torturam qvandam & carnificinam, qvâ tanqvam exſecutores iræ divinæ ſævire tenentur in homines & humani corporis & fortunæ bona, juſtô celeriùs judicat, & iniqviùs angelica munia diſtribuit. Nam, qvid qvæſo *Menaſſes* de duobus angelis dicturus eſt, qvi benefici Lothi hoſpitiô excepti hoſpitem cum ſuis Sodomiticæ πανολετρίᾳ exemerunt, manibus Sodomitarum violentis eripuerunt Gen. 19. v. 10, 17; licet Sodomam devaſtârint v. 13. Ex qvo manifeſtum evadit, angelos miniſterii non tantùm iræ divinæ exſecutores eſſe, ſed etiam beneficos piorum conſervatores.

Sextum, ſeqvitur e priori qvinto noſtræ obſervationis momento, perpetuum non eſſe illud diſcrimen, qvod conſtituit inter *angelos throni* Majeſtatici, *miniſterii*, & *damni* ſeu *mortis*.

Septimum, *angelos miniſterii*, qvibus ſecundus gradus aſſignatur, ſolos non vocari exercitus cœlorum, ex iis qvæ attulimus, patet.

Octavum, neq; veritati cœleſti conſonum eſt hos ſolos מלאכי השרת evectos ſupra orbes habitare; id qvod e prioribus reſponſis liqvidò conſtat, ſi penſiculatius expendantur.

Nonum, neminem iſtorum angelorum, qvi in primo gradu collocantur, viſibili formâ veſtitum apparuiſſe hominibus dogma Rabbinorum eſt & ἄγραφον & ἀντίγραφον, qvod ſuperiùs a nobis demonſtratum eſt.

Decimum, e diverſo, ſolos eos angelos, qvi in mediâ claſſe conſiſtunt viſibiles formas aſſumſiſſe, excluſis primæ ſedis angelis, nugamentum Judaicum eſſe modò tradita, ſi rectè attendantur, evidenter evincunt.

Undecimum, angelum, qvi luctatus eſt cum Jacobo, in mediis his angelorum ſubſelliis ſubſiſtere, nec ad ſublimius divinitatis faſtigium aſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſurgere, adverſâ fronte cum ore Domini pugnat, qvod ita loqvutum eſt Gen. 32. v. 27. *Et dixit ad eum: Qvod nomen tuum? Et dixit: Jahacob. Et dixit: Non Jahacob dicetur ultrà nomen tuum: qvin imò* Iſrael: *qvia princeps fuiſti cum* Deo, *& cum* hominibus, *& prævaluiſti. Et interrogavit Jahacob & dixit: indica nunc nomen tuum. Et dixit: ut qvid hoc interrogas de nomine meo? Et benedixit ei ibi. Et vocavit Jahacob nomen loci* Peniel: *qvia vidi* Deum *facie ad faciem, & liberata eſt anima mea.*

Duodecimum, Cherubimos poſitos ad cuſtodiendum Paradiſum, referendos eſſe ad ſecundam hanc angelorum claſſem, qvi antiqvis Hebræis dicti ſunt מלאכי חבלה *angeli damni*, aut שטנים *Menaſſi* tortores, nobis διαβόλων *Satanæ, adverſarii, hoſtes*; item hos veſci, generari & mori inſtar hominum, meritò inter conſvetas Judæorum nugas refertur. Eqvidem malos Dæmones ad Cherubimorum ſummum & glorioſum ſtatum nunqvam evexit ſcriptura Θεόπνευστος: veluti teſtimonia ejuſdem fallere neſcia clarè evincunt. De *angelo mortis* confer *D. Dannhaweri* Hodoſoph. Chriſt. Phænom. 12. pag. 923.

Decimumtertium, qvod omnium turpiſſimum eſt, angelum, qvi maximâ clade ſtravit caſtra regis Aſſyriorum, qvem vidit *David* tenentem ſtrictum mucronem adverſus Hieroſolyma, qvi tantô damnô *Jobum* affecit, eúmqve adeò graviter afflixit, qvi viſus fuit aſinæ *Bileami*, & illos ſex viros armatos, qvos vidit *Jehazqvel*, nutrimentis indigere, liberis procreandis operam dare, morti inſtar hominum obnoxios eſſe, traditio eſt Rabbinica a monumentis Vet. Teſtamenti aliena ac fide indigna.

Hæc & alia plura unum Problema 22 Menaſſis paucis lineis cumulat, qvibus temerè aſſentiendum non putamus ſine prævió examine & ſcrutinió, qvô uſi ſumus tanqvam Lydiô lapide ad explorandam eorum veritatem, qvam divina monumenta patefaciunt. Neqve enim in *Menaſſis* contemptum qvicqvam hîc dictum volumus, ſed optamus, ut qvi inſtar *Pauli Apoſtoli* Act. 22. Vir Judæus eſt eruditus ad pedes Rabbinorum κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, לְתּוֹרָה וְלִתְעוּדָה *ad legem & teſtimonium* dicat, verbóqve Dei convenientiùs in poſterum ſcribat, ſi expetat, ut ſibi aurora illuceſcat, juxta *Eſaiæ Prophetæ* ſerium & ſanctum mandatum cap. 8. v. 20. perſcriptum. Hujus oculos clarum auroræ mane tùm feriet, cùm paſſus fuerit velamen & oculis & cordi ſuo priùs ſubduci ac eidem cordi ſuo ac noematibus cœcis inveteratam πώρωσιν auferri permiſerit

2 Cor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

2 Cor. 3. v. 14, 15. ut ſic ad Deum toto corde converſus v. 16. ibid. revelatâ & ceu ſpeculo oppoſitâ facie cum ſuis ſocienis gloriam Domini ſpeculetur ad eandem imaginem transformatus a gloriâ in gloriam tanqvam à Dei Spiritu, v. 18: ſic non ampliùs ambulabit in tenebris cum cæcutiente populo ſuo ſed videbit אוֹר גָּדוֹל *lucem magnam*: & ſic habitantibus in terrâ צַלְמָוֶת umbræ mortis lux ſplendebit Eſa. 9. v. 2. qvod vaticinium jam dudum complevit ipſe Meſſias. Matth. 4. v. 12, 13, 14, 15. *Audiens Jeſus* (Meſſias) *qvòd Johannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam: Et relinqvens Nazareth, veniens commigravit in Capharnaum maritimam, in finibus Zæbulon & Nephthalim: Ut adimpleretur pronunciatum per Eſaiam Prophetam, dicentem: Terra Zabulon & terra Nephthali, viam maris, ultra Jordanem, Galilæa gentium, populus ſedens in* tenebris *vidit* lucem magnam: *& ſedentibus in regione & umbra mortis*, lux orta eſt eis. Imitetur divinum exemplum Pauli, qvi licet fuerit circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, tribus Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus, ſecundum Zelum perſeqvens Eccleſiam, ſecundum juſtitiam qvæ in lege, factus irreprehenſibilis: tamen ex eo hominum genere eſſe noluit, cujus cor adeò pingve factum eſt, cujus aures adeò graves, oculi tam arctè occluſi ut nec videre nec audire aut corde intelligere ſuſtineant, ut convertantur & ſanentur Eſa. 6. v. 10. Sed totô corde ad Deum converſus eſt, veluti veritas converſionis Paulinæ deſcripta capitibus Actuum Apoſtolicorum. 9. c. 22, 26. ſufficienter docet. Legat centies, imò millies, invocatô Deo religiosè expendat divini Prophetæ *Eſaiæ* c. 53. qvod continet claram hypotypoſin paſſionis Meſſiæ, & huic firmiſſimo Prophetico λόγῳ piè animum attendat, tanqvam lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, ut phoſphorus veritatis cœleſtis & plenum meridiei Chriſtiani jubar caliginoſo cordi ejus illuceſcat. Hujus Prophetici vaticinii ſeu, ut clariùs dicamus, Evangelii Prophetici, qvod caput 53. exhibet, freqventiſſimæ lectioni ac devotiſſimæ meditationi ſuam olim converſionem ad Chriſtum & Chriſtianam fidem, qvæ unicè vera ac ſalutaris exiſtit, acceptam retulit, divinâ præeunte & comitante gratiâ, *Johannes Iſaacus Levita Germanus*, Senatus Colonienſis qvondam Hebrææ Lingvæ Publicus Profeſſor.

Ne verò verba dare cuiqvam videamur, ipſius *Iſaaci Levitæ* verba produce-

ducemus, qvæ deſcripta extant in libro, cujus titulus: *Defenſio veritatis Hebraicæ ſacrarum ſcripturarum adverſus libros tres Reverendi D. Wilhelmi Lindani S. T. Doctoris, qvos de optimo Scripturas interpretandi genere inſcripſit*. Etenim ſic ſcribit lib. 1. ejuſdem defenſionis pag. 82. edit. Colon. 1559. *Eſaiæ* cap. 53. citamus, qvod Prophetiam juxta & totam Chriſti paſſionem in ſe continet. *Qvid hîc qvæſo in Hebræo textu deſideratur? num litera mutata vel ſubtracta, qvæ myſterii ſenſum violet? Hoc ego ingenuè profiteor*, illud ipſum caput ad fidem Chriſtianam me adduxiſſe: *Nam* plus millies caput illud perlegi, *contuli accuratè cum multis translationibus, deprehendi* centies plus de Chriſto myſterii *in textu Hebræo contineri*, qvàm *ullâ aliâ converſione reperiatur*. His *proximis Comitiis Franckfordienſibus cum qvinq; Rabbinis ſum congreſſus, qvos ex eodem capite, in eas anguſtias redegi, oſq; illorum obturavi, ut ne verbum qvidem adverſus argumenta & rationes meas reſpondere potuerint.*

Hujus capitis attentæ ac devotæ lectioni, in qvâ tam efficax & lucida vis inerat, ut *Levitam* Judaicis dogmatibus innutritum, ejuſq; animum denſâ obſoleſcentis ac pertinacis ignorantiæ tenebris circumſeptum novâ Evangelicæ veritatis luce perfundere valuerit, jungat *Ben-Iſrael* concionem *Apoſtoli Petri* habitam die Pentecoſtes, e *libris Regum*, *Davide Eſaiâ* & *Joële*. Hæc qvondam tàm divinâ ac cæleſti Spiritus Sancti virtute confirmata obſervatur, ut tria ferè hominum millia cœlo ſit lucrata Act. 2. v. 41. Progrediatur porrò, ſi qva adhuc ſpes ſuperſit effulſuræ in ipſo lucis, ad Apoſtolicam concionem *Sancti Stephani Protomartyris* in Synedrio eâ fide & animoſitate habitam coram Presbyteris & Scribis è *Geneſi*, *Exodo*, *Deuteronomio*, *Libris Regum*, *Pſalmis*, *Eſaiâ*, *Ezechiele*, *Amos*, &c. ut eandem fusô ſuô ſangvine obſignârit. Hic Protomartyr vitam profundere maluit, qvàm agnitam veritatem deſertam pati. Act. 7. v. ult: Qvod ſi non obduraverit cor ſuum cum Pharaone, ſi adverſus ſtimulum non calcitraverit, ſi Deo viventi mortalis ipſe ſe non oppoſuerit, ſi Spiritui Sancto non reſtiterit. Act. 7. v. 51: & vitâ æternâ ſe indignum reddiderit Act. 13. v. 46. illam conſeqvetur felicitatem præ cæcâ & durâ ſuâ gente, ut non amplius inter eos ſit numerandus, qvos caligo operiet הַחֹשֶׁךְ יְכַסֶּה־ Eſa. 6. v. 2. qvóſqve *rigidos fronte* & *duros corde* חִזְקֵי־ מֵצַח וּקְשֵׁי־ לֵב fuiſſe conqveritur cap. 3. v. 7. Seqvatur pia

exem-

exempla eruditorum virorum gente ſuâ oriundorum, *Antonii Margaritæ*, *Pauli Burgenſis*, *Hieronymi de Sanctâ fide*; *Philippi Wolff*, *Chriſtiani Gerſonis*, *Julii Cunradi Otthonis*, qvi, renunciatô Judaiſmô, Chriſtianam fidem amplexi ſunt. In primis lectionem ac piam meditationem Epiſtolæ Paulinæ ad Hebræos qvàm maximè ſibi commendatam habeat, qvæ vinculum ac qvaſi conjugium qvoddam exiſtit doctrinæ Veteris ac Novi Fœderis. Ex ea diſcat *Abelis Protomartyris* V. Teſtamenti fidem, beatam *Henochi* μετάθεσιν & fidem ſalvificam, *Noachi* fidem religioſam, *Saræ* fiduciam erga Deum, imò fidem ſalutiferam omnium horum ac conſimilium fidelium, qvi fide in *Meſſiam noſtrum* firmâ recumbentes & ſpe promiſſionum de vero Meſſia ac Chriſto Jeſu Servatore Gentiumq; exſpectato σωτηρείῳ confirmati vitam clauſerunt. Deus tuo cordi, magne Rabbi, Vir erudite, talem indat fidem & amorem erga SCHILOH dudumq; miſſum ad mortales verum Meſſiam. Sic in tenebris neutiqvam palpitabis, nec umbras Talmudicas errorum plenas tantopere reſpectabis. Deus, qvi dixit ut e tenebris lux ſplendeſceret, benignè efficiat, ut illuſtratio glorioſæ ſcientiæ, qvam ipſe in facie Jeſu Chriſti, interpoſitô verbi ſpeculô, contemplandã propoſuit, illuceat cordi tuo, ne hujus ſęculi Deus νοήματα tua ulteriùs valeat excœcare 2 Cor. 4. v. 4. Tibi tuæq; genti dictum puta: Eſa. 60. v. 1: קוּמִי אוֹרִי כִּי בָא אוֹרֵךְ וּכְבוֹד יְהוָה עָלַיִךְ זָרָח׃ Fac nos voti compotes & te oblatæ ſalutis, O SALUS, O ARX, O REFUGIUM, O FORTITUDO, O VITA NOSTRA DEUS! Sit יְיָ לָךְ לְאוֹר עוֹלָם Eſa. 60. v. 19.

Inter alias tenebras, qvibus mens hujus Judæi obſcurata deprehenditur, haut immeritò numeratur error de *morte angelorum*, qvos ille Problemate Hujus 22. de Creatione dæmones vocat, larvatus verò noſter *Henochus Gigantes*, ſeu Spiritus egreſſos ab animâ Gigantum veluti ex carne, qvósq; pari audaciâ veſci, generare, *moriq;* poſſe nugatur cum antiqvis.

Nos verò inſtituti noſtri memores, docebimus his tenebris non unius Palæſtinæ cœlum fuiſſe obſcuratum, ſed aliarum etiam gentium animos iiſdem fuiſſe circumſeptos. *Janus Matthæus Duraſtantes* Problematis 1. l. 3. pag. 37. edit. cit. memorabile hujus rei exemplum affert e *Plutarcho* atq; *Euſebio Pamphilo*, qvod ita ſe habet. *De morte Dæmonum, inqvit, audivi ego ab Æmiliano Rhetore, viro prudente ſimul atqve modeſto; qvem credo multos veſtrûm cognoviſſe; qvòd, cum in Italiam pater ſuus navigaret circa inſulas, qvas*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Echinadas appellant, flatu ventorum deficiente noctu prope Paxas deveniſſe. Cúmqve omnes penè, qvi ſimul navigabant, attentiores vigilarent; repentè a Paxis inſula vocem magnam auditam fuiſſe, qvâ Thamnus qvidam vocabatur. Qvæ vox novitate rei omnes magnô perculit miraculô. Thamnus enim ille, qvi vocabatur; homo erat Ægyptius, ejus ipſius navis Gubernator. Qvibus vocatus nihil reſpondit. Tertiò verò vocatus, morem geſſit vocanti, atqve reſpondit. Illum verò multò majori voce ſic exclamâſſe. Qvando juxta Palodes fueris, annuncia tunc, magnum PANA mortuum eſſe. Qvâ re auditâ magnô dicebat Epitherſes (ſic enim Æmiliani pater appellabatur) omnes terrore perculſos fuiſſe. Cúmqve dubitarent utrùm obtemperandum eſſet illi voci, an non? hoc Thamni gubernatoris conſilium ab omnibus comprobatum fuiſſe. Si ſecundi qvidem ſpirarent venti; nihil eſſe dicendum. Sin verò tranqvillitas maris eſſet, ac ventorum flatus, cùm in eo loco eſſent, omninò deficerent; non eſſe reticenda, qvæ audivere. Cùm igitur juxta Palodes eſſent, qvia nullus erat flatus ventorum: tunc Thamnum, in mare pronum reſpicientem, magnâ voce dixiſſe, qvæ audiverat. Magnus PAN mortuus eſt. Qvâ re nunciatâ, magnus multorum gemitus, imò verò innumerabilium miraculô qvodam commiſſus, ſubitò auditus fuerat. & qvoniam multi fuerant, qvi eâ in navi navigabant citò ac facilè, cùm Romam veniſſent, hujusmodi rei rumores univerſam urbem repleverunt, & a Tiberio Cæſare, qvi tunc gubernacula Reipublicæ gerebat, Thamnum accerſitum fuiſſe. Cui rei tantam fidem Tiberius præbuit, ut Philoſophis, qvi tunc Romæ reperti erant, accitis, diligenter, qviſnam eſſet ille PAN, & curioſè ſcrutarentur. Omnes autem illos, qvibusdam in idem conveniſſe conjecturis, ac dixiſſe, de illo ſibi videri nunciatum fuiſſe, qvi a Mercurio & Penelope natus fuerat. Hæc ex *Euſebii* l.5.c.17. de Præp.Evang. *Duraſtantes.*

Porrò, vaniſſima hæc de *morte Dæmonum* opinio non Judaiſmum ſolummodò infecit, cui primum embrion debet, non paganorum tantùm animis labem affricuit, verùm etiam Chriſtianorum mentes, inſtinctu diaboli, effaſcinavit. Qvô factum eſt, referente *Antoniô Ruſcâ* lib. 4. de *Dæmonibus*, cap. I. v. 5. ut *Facius Cardanus* aures præbuerit ſocieno *Dæmoni* ſuo, cujus familiaritate multis annis uſus fuerat, qvi docuit patronum ſuum *Cardanum*, *naſci Dæmones humano more*, *ſeneſcere* & *interire*. Qvid? eò dementiæ venit *Facius*, ut conjectâſſe ſe ſcripſerit, e juvenili ſui *Dæmonis* aſpectu, ad *ducentos* aut *trecentos* annos *Dæmonum* ætatem pervenire. Dæmonas *mortales* eſſe docet *Plutarch.* de Def.Orac.& *Pſellus.*

Qvamvis autem Judaica hæc & pagana opinio adeò ſit abſurda, ut vel nomi-

nominâſſe eam ſit refutâſſe: tamen ut de bonis *Angelis* certum eſt, qvod *mori non poſſint*, teſte *Lucâ* cap. 20. v. 35, 36: Q*vi digni habiti fuerint, qvi ævum illud conſeqvantur & reſurrectionem ex mortuis, neqve ducunt uxores, neqve nuptum dantur*: nec *enim* mori poſſunt *ampliùs*: pares *enim* Angelis *ſunt; & filii ſunt Dei, cum ſint filii reſurrectionis*. Nam ſi ideò ſunt ſimiles angelis, qvia mori neqveunt; utiqve nec ipſi *Angeli* morti erunt obnoxii, cum qvibus ut verè æternis comparantur. De diabolo verò & damnatis hominibus malis angelis firma ſtat ultima tremendi judicis ſententia: *diſcedite à me maledicti in* ignem æternum, *qvi paratus eſt diabolo & angelis ejus*. Matt. 25. v. 41. Qvi ignis ut ἄσβεςος pronunciatur *a Chriſto* Marc. 9. v. 43. Matth. 3. v. 12: ita cum æterno ſupplicio eſt perpetuò conjunctus Matth. 25. v. 46. Hiſce *malis Angelis non pepercit Deus, ſed ſimul ac qvondam peccârant, eos vinculis tenebrarum conſtrictos, & in tartara detruſos* (ταρταρώσας), *judicio reſervandos tradidit* 2 Petr. 2. v. 4.

Qvemadmodum de *Dæmonum morte* nunc egimus ſeqvuti *Fragmentum Henochianum*: pari qvoq; induſtriâ dicendum eſſet de eorundem *Reſurrectione*. Verùm enim verò, qvia hæc fragili nimis nititur tibicine, ſi qvis juſtâ diligentiâ græca verba examinaverit ac περίςασιν loci expenderit, non committendum putamus, ut cum larvis pugnare videamur. Textus græcus Simii *Honochiani* ita ſonat: Καὶ ἐξαναςήσονται τὰ πνεύματα ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν γυναικῶν, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἐξηλύθασι: qvæ ſic commodè verteris: *E inſurgent Spiritus in filios hominum & mulierum, qvia ex ipſis proceſſerunt*. Nam *primò*, ſtructuram qvod ſpectat: ἐξανίςημι cum particulâ ἐπὶ motus ad locum indice conſtructum interpretationem præpoſitionis latinæ *cum* vix admittit. *Deinde* præcedentia de invadentibus & irruentibus *Dæmonibus* agunt. *Deniqve* ſeqventia effectum horum crudele, nempe, *cædem, perditionem, mortem* deſignant. Qvæ junctim noſtro interpretamento robur addunt. Hæc cũ ita ſe habeant, miſſâ Giganteorũ Spirituum *Reſurrectione*, rectâ nos ad *Qvintum Vitium* propalandũ accingimur.

QVINTUM vitium *Henochæi fragmenti* auctor ſeqventibus verbis includit: Καὶ πρὸς τὸν Μιχαὴλ εἶπεν. πορεύου Μιχαήλ. δῆσον Σεμιξᾶν, καὶ τοὺς ἄλλους σὺν αὐτῷ τοὺς συμμιγέντας τοῖς θυγατράσι τῶν ἀνθρώπων τοῦ μιανθῆναι ἐν αὐτοῖς ἐν τῇ ἀκαθαρσίᾳ αὐτῶν. καὶ ὅταν κατασφαγῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν, δῆσον αὐτοὺς ἐπὶ ο΄ γενεὰς εἰς τὰς νάπας τῆς γῆς μεχρὶ ἡμέρας τῆς κρίσεως αὐτῶν, μεχρὶ ἡμέρας τελειώσεως τελεσμοῦ, ἕως συντελεσθῇ κρίμα τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων.

Qvosvis deformioris hujus fœtus ſubdititii nævos in numerato habere, nihil aliud eſt, qvàm τὸ ἄμμον μετρεῖν. In promptu hujus rei documentum eſt, qvod modò oculis ſubjectum exqviſita judicia variorum errorum, vel nobis tacentibus, facilè convincent. Nobis verò noſtróqve inſtituto ſatis fore putamus, unum ex iis indigitâſſe: ſed ita, ut inſtitutæ & hactenus obſervatæ a nobis methodi memores: *Primò* erroris fontes a Judæis ut literarum ſacrarum cuſtodibus, ita vanarum opinionum primis ſatoribus deducamus. *Deinde* Platonicorum dogmatum rivos ex his fontibus fluere oſtendamus. Et *deniqve* Chriſtianorum calamos etiam heic eſſe ſimios Judaicorum & Platonicorum ſomniorum modeſtè ob oculos ſtatuamus.

Error hic eſt, qvòd *Semixas* cum ſociis ſuis, qvotqvot fœdâ filiarum hominum conſvetudine ſe contaminaverant, dicatur ligatus εἰς τὰς νάπας τῆς γῆς, qvas Interpres noſter *abdita terræ loca* exponit, alii *valles nemoroſas.* Judæi ab hac opinione non longè abeunt, teſte *Menaſſeh Ben-Iſrael* Problem. 19. de Creatione, cujus verba hæc ſunt: *Qvamvis autem nonnulli imperitè & ineptè putaverint* infernum *nihil aliud eſſe, qvàm privationem gloriæ: veterum tamen longè alia opinio fuit, dixerúntqve revera locum eſſe, qvi exſtet* in centro terræ. *Nam in qvibusdam locis Libri Talmudici & Zoar extat ejus ſpecialis deſcriptio, & inter alia dicuntur eſſe* qvatuor portæ.

Plato Lib. x. de Republ. pag. 700. edit. Baſil. 1561. memorat Erin Armenium *genere* Pamphylum *aliqvando in bello occiſum, cum decimô die mortui jam putrefacti tollerentur, ſanum & integrum corpore ſublatum eſſe, qvi domum delatus, ubi duodecima die ſepeliendus eſſet, in pyra poſitus revixit. Cùm autem revixiſſet, narrabat ea, qvæ iſtic vidiſſet. Dixit autem, poſtqvam anima ipſius de corpore exceſſiſſet, profectam eſſe cum multis, & deveniſſe ipſas ad locum qvendam mirabilem, in qvo eſſent* duo terræ hiatus inter ſe contigui; *& rurſus alii duo ex oppoſito ſupernè* in cœlo. *Inter hos verò ſedere judices, qvi poſtqvam dijudicâſſent, juſtos qvidem ad dextram abire juberent, & ſurſum per cœlum, alligatis ſignis judicatorum in anteriore parte: injuſtos verò ad ſiniſtram & deorſum, ita ut & hi habeant a tergo ſigna omnium eorum, qvæ perpetraverunt. Cùm autem ipſe acceſſiſſet, dixiſſe illos, oportere ipſum nuncium fieri hominibus eorum, qvæ illis eſſent, & juſſiſſe ut audiret ipſe & ſpectaret omnia, qvæ in eo loci fierent. Vidiſſe itaqve hac parte, per* alterum qvidem hiatum *tum cœli tum terræ abeuntes animas, poſtqvam iſthic judicatæ fuiſſent: per alterum verò ex terra qvidem*

dem aſcendiſſe alias ſqvalore & pulvere oppletas, ex cœlo verò deſcendiſſe alias puras.

Tertullianus Lib. de Anima cap. 55: *Nobis,* inqvit, *non nuda cavoſitas, nec ſubdivalis aliqva mundi ſentina creduntur. Sed in* foſſa terræ, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus ejus abſtruſa profunditas. *Siqvidem Chriſtum* in *corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt,* in receſſu intimo, & interno, & in ipſo terræ operto, & intra ipſam cavato, & in inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo.

Haud mirum aut novum cuiqvam accidere debet, *Tertullianum* heic qvaſi Ἰȣδαΐζειν ἢ πλατωνίζειν, cùm *Hieronymus* Judæorum Præceptorum ſuorum, qvos diverſos habuit, fabulis indulgens, non modò *algoris* incendium ſed & *frigoris* rigorem in Gehennæ locis conſtituerit Commentar. in Job. cap. 24. Verba ejus hæc ſunt: *Fortè in ipſa* Gehenna *talis ſenſuum cruciatus fiet illis, qvi in ea torqvebuntur, ut nunc qvaſi* ignem ardentem *ſentiant: nunc nimium* algoris incendium; *& pœnalis commutatio: nunc* frigus *ſentientibus, nunc* calor *ſit*: ut *qvaſi de loco ad locum tranſitus æſtiment. Et fortaſſis inde Dominus ait in Evangelio: Mittite eum in* tenebras exteriores: *ibi erit* fletus & ſtridor dentium. *Ut hic* ſtridor dentium *de* rigore frigoris *oriatur. Ubi & ſimilitudinem qvandam ex noſtris corporibus poſſumus invenire, in qvibus rufi abundantia, qvod eſt calidiſſimum, in typicis motibus intolerabilis* rigor *præcedit,* ignem *febrium* ardentiſſimum *ſeqvuturum*: & *dicuntur a medicis hæc duo qvæ ſibi contraria dignoſcuntur, ex una fellis materia in homine procreari.*

Simile qvid legitur in Libro antiqviſſimo *Zohar* in Geneſin columna. 205. ubi duplex dicitur eſſe judicium Gehennæ, *Aqvæ* ſcilicet & *Ignis. Dixit* R. Joſeph, *vidit Noah Angelum mortis ad ſe venientem, ideóqve ingreſſus eſt in arcam, & abſcondit ſe in ea per duodecim anni menſes. Qvare per duodecim menſes? Qvia hujuſmodi eſt judicium peccatorum.* R. Jehuda *dixit, Sex menſes ſunt in* aqva *& ſex in* igne. *Atqvi hic tantum* aqvæ *fuerunt: unde itaqve ſex menſes alteri? Dixit ei* Rabi Joſe, *Ambobus judiciis Gehennæ judicati fuerunt,* Aqvâ & Igne; Aqvis *iis videlicet, qvæ deſcenderunt ſuper eos deſuper, qvæ fuerunt* frigidiſſimæ *inſtar nivis*: Igne; aqvis *nempe ſubtus prodeuntibus, qvæ* ferventes *erant inſtar* ignis. *Sic itaqve judicio Gehennæ judicati fuerunt,* Igne & Aqva, *& proinde duodecim fuerunt menſes. Dixit enim* R. Elieſer, *Judicium peccatorum in Gehenna durat duodecim menſes. Unde omnes peccatores mundi*

duobus iſtis judiciis judicantur , Igne & Aqvâ, *donec exſcindantur e mundo.* Hactenus *Zohar*. Ad duplex hoc judicium Gehennæ videtur reſpicere Paraphraſtes Chaldæus Jobi 28. v. 5: אַרְעָא דְמִנַּהּ נְפַק מְזוֹנָא וּלְרַע מִנַּהּ גְהִנָּם דְצִנַּת תַּלְגֵיהּ מִתְהַפְּכָא דְּכִמַּת אֶשָּׁתָא *Terra ex qva provenit alimentum, & infra qvam eſt Gehenna, cujus* nivis frigus *convertitur ut fiat ſicut* ignis.

Virgilius Lib. VI. Æneidos:

—— —— Facilis deſcenſus Averni
Noctes atqve dies patet atri janua Ditis,
Sed revocare gradum ſuperáſqve evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt; pauci qvos æqvus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere: tenent media omnia ſylvæ
Cocytúſqve ſinu labens circumfluit atrô.

Huc fortè digitum intendit idem *Maro*, qvi *Turni* animam, qvem Æneas occiderat, indignabundam ad umbras fugiſſe fingit, ſic claudens lib. 12. Æneidos:

Hoc dicens: ferrum adverſo ſub pectore condit
Fervidus. aſt illi ſolvuntur frigore membra
Vitaqve cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Antonius Ruſca Mediolanenſis Collegii Ambroſiani Doctor Lib. 1. de Inferni cavitate cap. 26. auctoritate Tertulliani motus ſtatuit infernum eſſe *amplam ac vaſtam qvandam voraginem in terræ gremio conſtitutam, recipiendis animabus corporibúſqve malorum idoneam.* Nos autem *Ruſcam* opponimus *Ruſcæ*, & cum eodem ſentimus non tam curioſè qværendum eſſe, ubinam terrarum tartareus carcer, funeſtumq; damnatorum receptaculum exiſtat, qvàm ſtudendum eſſe in primis, ut ea fugiamus, qvantum in nobis eſt, qvæ trahere nos in gehennam poſſunt. Qvid enim refert nôſſe ubinam gehenna ſit, ſi opera fiant digna gehenna?

Chryſoſtomus Homiliâ de Præmiis Sanctorum: *Non erit*, inqvit, *qvô fuerint hæc locô ſita, ſed magis qvô pactô evitari poſſint, qværendum. Nihil prodeſt, qvæ maneant peccatores tormenta, aut ubi parata ſint cognoſcere, niſi ad hoc demus operam, ut poſſimus evadere*, ut integrô capite probat *Gregorius Magnus* lib. 9. Moral. cap. ultimô. *Auguſtinus* lib. 20. de Civ. Dei cap. 16:

Ignis infernalis cujuſmodi & in qva mundi vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi fortè, cui Spiritus Dei revelârit.

Eqvidem dogma in ſacris literis certò non revelatum aut definitum, tutiùs ſiletur qvàm temerariô calamô proditur. *Infernum* autem, ut cum *Tertulliano Ruſca* ſtatuit, *vaſtam qvandam in terræ viſceribus profunditatem, receſſum intimum & internum in ipſa terra opertum & intra ipſam cavatum, & in inferioribus abyſſis ſuperſtructum, ſubterraneum ignis theſaurum eſſe*, Scriptura expreſsè non definivit: qvare oportet heic qvidem φρονεῖν atqve recte ſentire de *Inferno* cum Scripturis, ἀλλὰ μὴ ὑπερφρονεῖν ſupra ea qvæ non ſcripta ſunt, nec revelata.

Infernum eſſe locum tormenti malis Angelis & hominibus, qvi ἐν τῇ ἀπιστίᾳ & maligno peccandi ſtudio vitam clauſerunt a juſto judice Deo deſtinatum, ut a facie Dei benigna abjecti, & ab irata ὄλεθρον *paſſi diſpari modo æternùm crucientur ad declarandam divinam* juſtitiam, formidandus nimis teſtis eſt *Ignis æternus Diabolo & Angelis ejus paratus* Matth. 25. *Ignis inexſtinctus* Matth. 3. v. 12. *Fletus & ſtridor dentium in tenebris exterioribus* Matth. 5. v. 12. *Vermis mori neſcius* Eſa. 66. v. 24. *Dives epulo* Luc. 16. v. 13. *Pharao* Ezech. 31. v. 2. & 32. v. 22. *Dathan, Corach & Abiram* Num. 36. v. 33. Sed *ſubterraneum æterni tormenti* locum eſſe, & qvidem ſitum *in centro terræ*, ſive, ut perſonatus *Henoch* loqvitur, εἰς νάπας τῆς γῆς, neutiqvam audemus ſtatuere: qvia hanc ſententiam firmiter non ſtatuminat Scriptura firmo Prophetarum & Apoſtolorum fundamento innixa.

Ratio hujus aſſertionis, qvam piorum & Scripturis Sacroſanctis convenienter ſentientium judiciis ſubjicimus, hæc eſto: Cœlum & terra Dei verbô ad inſtar *theſauri reſervata ſunt igni in diem judicii & perditionis impiorum hominum* 2 Petr. 3. v. 7: *cœli qvidem cum ſtridore præteribunt, elementa verò igne conſumpta ſolventur, & terra, nec non omnia in terra opera conflagrabunt.* Qvocirca, aut nullus *Infernus* erit, poſt catholicam cœli & terræ & qvæ eorum complexu continentur πανολεθρίαν, qvod adverſa pars non concedit; aut novus Ignis & *Infernus*, a Deo condendus erit. Sed ſic non eſt *æternus* ignis *Inferni*, qvod Scriptura non permittit, qvæ æternum & ἄσβεστον ignem & qvidem jam dudum paratum a Deo diabolo & angelis ejus aſſignat, ut non opus ſit eum denuo parari aut condi: aut aliqvis in terra locus intactus ab univerſali orbis incendio manebit, qvod hic locus Petri aliíqve complures neutiqvam concedunt: nam a terra exuren-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

exurendâ & cunctis ejus operibus, qvód ultimum incendium conſumet, ſubterraneus *Inferni* locus excipi neqvit, cùm inter ejus opera numeretur, & qvidem ipſum terræ centrum conſtituatur: aut deniqve longè alius qvàm ſubterraneus & alibi qvam in unum centrum terræ arctatus τόπος βασάνε damnatis Spiritibus & hominibus erit aſſignandus.

Ut autem ſcopum eorum, qvæ jam fuſiùs allata ſunt velut in compendioſa tabella oculis lectoris contemplandum proponamus; vix commodiùs nos id facturos arbitramur, qvàm ſi novam ASSERTIONEM e modò dictis, tanqvam conſectarium deducamus. Sit igitur

ASSERTIO QVARTA.

FRagmentum Henochianum Judæi unius aut plurium fœtus eſt multifariam vitioſus, Platonicis faſciis involutus, Chriſtianorum impuris manibus ſuſceptus, atqve vanis eorundem pennis ceu mammis paſſim & lactatus & altus.

Nolumus in hac ASSERTIONE diducenda prolixiùs verſari, cùm ſingula ejus membra e Judæorum, Platonicorum & Chriſtianorum ſcriptis *Aſſertione* proxima *Tertia* ſint illuſtrata. Paucis tantùm teſtimoniis adductis in ejus confirmationem, ad *Qvintam Aſſertionem* rectà progrediemur.

R. Schem Tof in Amunot. Port. cap. 4. Librum producit, cujus Auctorem facit *Enochum*, de cœli ſiderúmqve motibus & magica ſcientia diſſerentem, teſte *Gvilielmô Henricô Vorſtiô* in Præfat. ad Capit. R. Elieſer. Unde conjicere licet, Librum hunc Hebraicô idiomate ſcriptum apud Judæos integrum aliqvando fuiſſe, cujus ſolummodò *Fragmentum* nunc reſiduum eſt, in qvo noſtra jam verſatur opera. *Julius Cæſar Bulengerus* lib. 1. de licita & vetita Magia pag. 500: *Riſum*, inqvit, *mihi movet* Zozimus Panopolites; qvi δαιμόνων γένος εἶναι φησὶ ὃ χρῆται γυναιξὶ, *Dæmonum genus eſſe ait, qvi fœminis abutantur, unde Gigantes nati, a qvibus* χημία, *ars chemica orta. Eos Angelos vocant* ἐγρηγόρους, *vigiles, apud* Cedrenum *pag.* 7. 11. 52. *de qvibus in Libro apocrypho* Enoch, *qvi e Gigantibus natos eſſe Naphelim ait, qvorum filii Eliud, e qvibus* φαρμακὸς (φαρμαρός) ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας καὶ ἐπαιδῶν λυτήρια. Mera Mapalia. Judæorum figmenta ſunt.

ſunt. Sed de Magicis artibus diſſeruiſſe commentitium noſtrum *Henochum*, ſeqvens noſtra ASSERTIO QVINTA prodet.

ASSERTIO QVINTA.

QVi hactenus Angelicarum nuptiarum cum ſexu venuſtiore ſollemnis præco ac pronubus eſſe geſtiit: nunc Angelos femineos Magicarum artium Doctores ac nutritios pronunciare haut erubeſcit.

Parùm abeſt, qvin manum de tabula heic ſtatim tollamus. Ratio in prodivi. Qvia non pedum, ut Comicus olim dixit, ſed manuum multarum hìc viſa eſt via. *Magia* enim ut multiplex exiſtit, ita multis calamis expreſſit ſudorem. Qvò igitur plura calamorum veſtigia ante nos cernimus in hoc monſtro inſeqvendo, detegendo & fugando: eò majus nobis otium faciunt. Ubi trita multorum pedum veſtigia comparent, retrahimus pedem: ubi verò nulla ac rara veſtigia, figimus. Qvid enim attinet cacoëthes ſcribendi nonnullis ſæculi Scriptoribus familiare imitari, qvibus volupe eſt non propriô Marte ſcribere, ſed benè ſcripta ab aliis exſcribere ſine expreſſo auctoris nomine. Ne a.fucus pelluceat, veteribus ollis novas aſſigunt anſas, ſuíſqve ſcriptis novum præfigunt titulum alienis laboribus intus ſuperbientem, aut veriùs ſordeſcentem. Sordet ſemper, qvam fucatus labor mentitur, gloria. Intervenit ſæpe acutùm cernens ſollerſqve CANDOR, & unicô oſtenſi veri halitu diſflat fucum, tectúmqve plagii cum probro nudat nævum. Qvô fit, ut qvi Scriptorum aqvila antè fuerit; mox ad inſtar Æſopicæ cornicis alienis, qvibus inſoleſcebat, pennis denudatus appareat talis, qvalis eſt. Ut igitur ſuus cuiqve nomini, ſuus cujuſqve labori debitus conſtet honor: nos infrà candidè ſignabimus eorum nomina, qvæ nobis qvidem feſtinantibus obſervata ſunt in Magiam aut calamum ſtrinxiſſe, aut ejus arcana denudâſſe, ubi priùs multiplicia atræ hujus diſciplinæ genera oculis ſubjecerimus.

Qvi Angelos veneficarum artium Magiſtros renunciat, & ſpecioſas formas adſciſcit dociles diſcipulas, ſic partitur operas docendi inter Egregoros, ut ſuum cuiqve Anthropodæmoni magicum diverſæ diſci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

plinæ genus cedat. Sic enim ipſe: οἱ δὲ Γίγαντες ἐτέκνωσαν Ναφειλείμ, καὶ τοῖς Ναφειλείμ ἐγεννήθησαν Ἐλιούδ. καὶ ἦσαν αὐξανόμενοι κατὰ τὴν μεγαλειότητα αὐτῶν. καὶ ἐδίδαξεν ἑαυτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν φαρμακείας καὶ ἐπαοιδάας, (lege ἐπαοιδίας.) Mox ſubjicit: Ὁ δὲ ια´ Φαρμαρὸς ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας, καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια. Ὁ θ´ ἐδίδαξεν ἀστροκοπίαν (lege, ἀστροσκοπίαν) ὁ δὲ δ´ ἐδίδαξεν ἀστρολογίαν. ὁ δὲ η´ ἐδίδαξεν ἀεροσκοπίαν. ὁ δὲ γ´ ἐδίδαξε τὰ σημεῖα τῆς γῆς. ὁ δὲ ζ´ ἐδίδαξεν (lege ἐδίδαξε) τὰ σημεῖα τῆς σελήνης. πάντες οὗτοι ἤρξαντο ἀνακαλύπτειν τὰ μυστήρια ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῶν: Gigantes autem genuerunt *Naphilim*, e *Naphilim* nati ſunt Eliud, & adaucti ſunt juxta magnitudinem ſuam, & docebant ſeipſos & *feminas* ſuas *magiam* & *incantamenta*. *Undecimus* autem *Pharmarus* docuit *artes veneficas, artem incantandi & arcendi incantamenta*. *Nonus* docuit *Aſtroſcopiam*, (*Kircherus, artem deducendi ſtellas*). *Qvartus Aſtrologiam* (divinatricem). *Octavus* docuit *artem divinandi per aërem. Tertius ſigna terræ. Septimus ſigna Lunæ.* Omnes hi ſic cœperunt revelare myſteria uxoribus & liberis ſuis.

Ceterùm, veluti ipſe Dæmon eſt polymorphus: ita polytechnites exiſtit, totq; malarum artium Magiſter, qvot numerandis vix ſufficit memoriæ anguſtia. Mirabilem *Proteum* agit, & ut canit Poëta l. 4. Georg.

Tam variæ illudunt ſpecies atqve ora ferarum:
Fiet enim ſubitò ſus horridus atraq; tigris,
Sqvammoſusq; draco, & fulvâ cervice leæna,
Aut acrem flammis ſonitum dabit ———
Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignémq; horribilémq; feram, fluviúmq; liqventem.

Pari facilitate format multiplices artes, qvibus perſtringit occæcatas mentes infidelium, atqve ſic ſenſim fatuas animas in ſui obſeqvium tractas tandem ardenti ſtagno ſecum mancipat. Caliſthenes in vita Alexandri Magni Nectenabo Ægypto profugum apud Olympiadem ita loqventem introducit, πολυειδής ἐστιν ἡ τῆς σκέψεως αἵρεσις, multiplex eſt hujus conſiderationis ſecta, ô Regina. Alii ſunt horoſcopi, portentorum ac ſignorum interpretes, extiſpices, arioli, ventriloqvi, genethliaci, Magi dicti, qvibus vaticinia ſubſternuntur. Nos ex harum ubere ſegete paucas tantum ſpicas ſelectas, ſervatô ordine Alphabeticô, indigitabimus. Inter Magiæ ſpecies numeratur *Aëromantia, Alectryomantia, Alſyromantia, Anthropomantia, Arithmantia, Aſtromantia, Axiomantia, Botanomantia, Capnoman-*

nomantia, Catoptromantia, Cephalæonomantia, Ceromantia, Chiromantia, Cleromantia, Coſcinomantia, Crithomantia, Cryſtallomantia, Dactyliomantia, Gaſtromantia, Geomantia, Hydromantia, Ichthyomantia, Lecanomantia, Libanomantia, Lomantia, Logarithmantia, Necyomantia, Onomantia, Onycomantia, Pyromantia, Sticomantia, Sycomantia, Tephramantia, & cætera genera varia ob multitudinem haut paucis lineis qvita includi.

Qvòd ſi nomina qvorundam, qvi hujuſmodi vetitis artibus uſi ſunt, qvisqvam deſideret, e multis hæc pauca itidem juxta ſeriem Alphabeti recenſenda duximus: *Agrippa, Alyta Afer, Andreas Italus Præſtigiator, Antiochus Tibertus Cæſenas, Antonius Heliogabalus, Apollonius Tyanæus, Appion Grammaticus, Arnuphis Magus Ægyptiacus, Baſilius Monachus, Elymas Magus, Empedocles, Facius Cardanus Hieronymi Pater, Hieron. Cardanus, Johannes Fauſtus, Jacobus Jodoci de Roſa, Jamblichus Syrus Philoſophus, Jambres, Jannes, Michael Sicidites, Maximus Philoſophus, Michael Verdunus, Nectenabo, Numa Pompilius, Oddo, Othinus, Petrus Burgottus, Pythagoras, Theotecnus Magus Antiochiæ, Sethus Magus, Simon Magus, Zedechias Judæus, Zoroaſtres.* Imò tam latè patuit poſt conditos & diditos per orbem homines imperium Κοσμοκράτωρ, qvi mundo maligno imperat 1 Joh. 5. v. 19: ut varias nationes, regiones & populos ſuis præſtigiis deditos habuerit, putà, *Babylonios, Chaldæos, Ægyptios, Perſas, Græcos, Latinos*, non *Judæos*, non *Platonicos* tantùm, qvod prolixè docet *Cæſar Bulengerus* lib. 1. de licita & vetita Magia: qvem, ſodes, conſule.

Qvibus atræ Scholæ artibus & earum obſcuriſſimis Magiſtris clariſſimam divini verbi & luculenti interdicti lucernam opponimus, qvam Moſes nobis in manus tradit Deut. 18. v. 10, 11: *Ne inveniatur in te qvi transmiſerit filium ſuum aut filiam ſuam per ignem, divinans divinationes, præſtigiator aut augur, aut maleficus aut incantans incantationem, aut interrogans Pythonem, aut magos, aut interrogans mortuos.* Lev. 20. v. 27: *Vir ſive mulier, in qvibus fuerit Spiritus Pythonicus vel divinationis, morte moriatur: lapidibus obruant eos, ſanguis eorum ſit ſuper illos.*

Porrò contra Magos, Magicas artes, ſagas, Diabolica maleficia, Aſtrologos judiciarios, Sortes vetitas, Geomanticas, Onomanticas, &c. lege Syſtema *D. Caſpari Eraſmi Brochmandi*, SS. Theologiæ in Regia Academia Haunienſi Profeſſoris ſummi, Epiſcopi Sædlandiæ qvondam vigilantiſſimi, Tom. 1. Art. de Creat. cap. 2. qvæſt. 10. Tom. 2. Art. de Lege

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

cap. 18. Caſu Conſcient. 12,13,14,15,16,17,18,19,20. *D. Nicolai Hemmingii* in noſtra qvoq; Academia olim Th. Profeſſoris longè celeberrimi Admonitionem de Superſtitionibus Magicis vitandis. His junge, qvæ de הַחַרְטֻמִּים & הָאַשָּׁפִים eruditè & nervosè ſcripſit *Dn.D. Johannes Svaningius* SS. Theologiæ Doctor, ejusdemq; in Academia Hauniensi Prof. multò celeberrimus, Epiſcopus Sædlandiæ vigilantiſſimus, Collega honoratiſſimus Part. 1. Commentar. in *Danielis* cap. 1. v. 2. pag. 10. edit. Haun. 1654. Nec non ea, qvæ Ὁ μακαρίτης *Joannes Dionyſius Jerſinus* D. SS. Th. & Epiſcopus Ripenſis in Lib. de Miraculis, ſignis & apparitionibus Danico idiomate edidit 1631. His accedat Chriſtiana Admonitio *Johannis Matthæi Meyfarti*, SS. Theologiæ D. & qvondam Profeſſoris in Academia Erfurtenſi ad Magiſtratus ſæculares & conſcientioſos Verbi Dei Pręcones Germanicâ lingva publicata Schleuſingæ 1636. Videatur & *Wolfgangi Hildebrandi* Goëtia, ſive Præſtigiarum magicarum deſcriptio, revelatio & executio, Germanicè in lucem edita Lipſiæ 1631. *Joannis Georgii Godelmanni* Tractatus de Magis, Veneficis & Lamiis rectè cognoſcendis Francof. 1601. Nec prætereantur ea, qvæ diffuſæ eruditionis Vir *Hermannus Conringius* contra *Paracelſum* & id genus Medicos ſcripſit cap. 18. Hermet. Medicin. Reſponſum Juris in ardua cauſa de nocturnis ſagarum conventiculis, ſaltationibus a J. C. Gieſſenſi impertitum Marpurgi edit. 1631. Nec non Magicorum, ſive Mirabilium hiſtoriarum de ſpectris & apparitionibus ſpirituum libri 2. Anonymi ab *Henningo Grotio* Lipſiæ 1597. editi legantur. Dæmonologia *Franciſci Torreblancæ Villalpandi* Mogunt. 1618. *Petri Oſtermanni* U. J. D. Commentarius Juridicus ad L. Stigmata C. de Fabricenſibus, in qvo de variis ſpeciebus characterum & ſtigmatum, qvæ ſagis inuſta deprehenduntur, Colon. 1629. *Joannis Jordanæi* Diſputatio Categorica de Proba Stigmatica, oppoſita *Oſtermanni* modò citato Commentario. *Antonii Ruſcæ Mediolanenſis* lib. 5. de inferno & Statu Dæmonum Mediolani 1621. *Nicolai Remigii* de Idololatria lib. 3. Lugd. 1595. Magiæ omnifariæ Theatrum *Strozzi Cigognæ* latinitate donatum a *Caſparo Ens* Colon. 1607. *Bodini* lib. 4. de Magorum dæmonomania Francof. 1590. *Petrus Creſpetius* in Summa Catechetica. *Bernardus Baſin. Georgius Piſtorius. Hieron. Menghius* in Fuſtis dæmonum. *Petrus Pomponatius. Philippus Ludvigus Elichius* in dæmoniomagia. Libri 3. *Benedict. Pererii* adverſus

falla-

fallaces & ſuſpicioſas artes Ingolſtadii 1591. *Richatus Argentinus. Scipio Gentilis* in Apuleji apologiam. *Jacobi Sprengeri* & aliorum Auctorum *Mallei maleficarum* Francof. 1600. *Martini Delrii* Magicarum Diſqviſitionum Tomi 3. *Petri Thyræi* Tract. 2. de Apparit. Spirituum. Colon. 1600. Ejuſdem Loca infeſta ob Dæmones & defunctorum Spiritus Colon. 1598. Et Liber unus de obſeſſis Colon. 1598. *Petri Binsfeldii* Tractatus de confeſſionibus maleficorum & ſagarum Colon. 1623. *Buridanus* in Polit. lib. 5. qvæſt. 13, 14. *Gerſon* part 1. *Stapleton.* orat. 1. Acad. *Thomas Gerzonius* in Platon. Univ. Ital. *Alexander Alenſis* in Summa Theol. part. 2. qvæſt. 36. *Rabanus Maurus* ad Bonoſum. *Joann. Vieri* de Præſtigiis Dæmonum Baſileæ 1566. *Lamb. Danæi* Dialogus de Veneficis, qvos olim ſortilegos, nunc ſortiarios vocant, apud *Euſtathium Vignon.* impreſſ. 1574. *Joach. Camerarii* Epiſtola in Plutarch. de Oraculorum defectu. Tractatus *Martini de Arles* S. Th. Prof. de Superſtitionibus Qvæſt. 2. *Joannis Trithemii* de Reprobis & maleficis. Liber Eraſti de Strigibus. ΒΑΣΚΑΝΟΛΟΓΙΑ ſive Tractatio de nefaria arte venefica *Gvilielmi Perkinſi*, Interpr. *Thomâ Draxo* Hannoviæ 1610. *Hottingeri* Lex CCLIV e Jure Hebræorum, qvâ interdicitur uſus præſtigiarum, pag. 388. ſeq. edit. Tiguri 1655.

Cùm tot Auctores deſudârint in detegendis & profligandis nefariis artibus veneficis, vix noſtrâ opus erit operâ, niſi oceano vellemus aqvam affundere. Magno autem hìc opus erit pietatis ſtudiô, ſingulari circumſpectione & diacritico delectu, ut triticum a lolio, aurum & argentum a ſcoria, impura a puris, noxia ab utilibus, accuratè diſcernamus: ne dum apertè veneficia fugamus, venena incauti latentiùs attrahamus. Hactenus ASSERTIO QVINTA.

Cùm exploratiùs modò innotuerit veritatis ſcrutatoribus indoles *Scripti Henochæi* e propoſitis hactenus ASSERTIONIBUS: ſupereſt jam ut diſqviramus

QVÆST. VI:

An Judas Apoſtolus affirmet Henochum ſcripſiſſe, & an locus, qvi in Epiſtola Judæ citatur, ex Henochi ſuppoſitio opere ſeu Fragmento ſit excerptus?

PRius affirmat *Auguſtinus*, poſterius *Hieronymus* & *Scaliger* in Notis ad *Euſebium*. *Auguſtini* hæc eſt aſſertio: *Scripſiſſe qvidem nonnulla divina*

vina Enoch illum Septimum ab Adam negare non poſſumus, cùm hoc in Epiſtola Canonica Judas Apoſtolus dicat. Vide *Aſſertionis* noſtræ 11. p. 23. Sed pace tanti támqve venerabilis Patris Judas Apoſtolus non dicit Henochum *ſcripſiſſe*, ſed *prophetâſſe*. Nam hæc ſunt verba Judæ v. 14: προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ ἀδὰμ, Ενὼχ λέγων: ἰδοὺ ἦλθε κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ: *Prophetavit autem de his Septimus ab Adam, Enoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis. v. 15. Facere Judicium contra omnes & arguere omnes impios* &c. Initiò adhibuit Judas vocem προεφήτευσε, *prophetavit*, non autem uſus eſt verbô, ἔγραψε, ſcripſit. Deinde introducitur Enoch, a Juda λέγων *dicens*, non γράφων, *ſcribens*. Neqve enim e nuda Prophetia, qvam lingva profert, firmum ducitur argumentum Scriptionis. Sic enim omnes filii Judęorum vaticinia ſua ſcriptô comprehendiſſent, de qvibus concionatur Apoſtolus Petrus Act. 2. v. 17 ex Joëlis cap. 2. v. 28. & Eſa. 44. v. 3. qvòd noviſſimis diebus ſint vaticinaturi. Valde itaqve auctus fuiſſet numerus Scriptorum & librorum ſub initium plantatæ Chriſtianæ Eccleſiæ, ſi tot prodiiſſent Scripta, qvot extraordinaria Prophetiæ dona collata memorantur credentium cœtui, qvi unâ auditâ Petri concione, ad tria hominũ millia fermè excrervit Act. 2, 41. Neqve omnes Prophetæ ſcripſerunt. *Agabus* etiam Propheta fuit, nihil tamen ſcripſiſſe perhibetur, ſed ſermone Propheticô uſus eſt, in primis ad Apoſtolum Paulum ibid. v. 11, 12. *Noach* etiam narratur fuiſſe κήρυξ τῆς δικαιοσύνης *præco juſtitiæ* 2 Petr. 2. v. 5: exinde tamen haut ſeqvitur, *Noachum* præconia ſua literarum monumentis conſignâſſe. Idem eſto judicium de Henocho, qvi qvidem prophetâſſe legitur, non autem ſcripſiſſe. *Judæ* autem viro ducto a Spiritu Dei non opus fuit ad ſcripta antediluviana aut traditiones recurrere, qvippe qvi gaudebat extraordinariâ & extemporali ſcribendi & loqvendi promptitudine, atq; ipſius S. Sancti ὑπομνήσει καὶ διδάξει Joh. 14. v. 26. Matth. 10. v. 19, 20.

Hieronymi verò & *Scaligeri* ſententiam qvod ſpectat, qvòd locus in Epiſtola *Judæ* ex *Henochi* opere citetur, & qvòd ſeorſùm opinatur *Scaliger* ſit, e *Fragmento* Henochiani Libri idem locus ſit excerptus p. 244 Not. ad *Euſebium*, ejus Apoſtolici vaticinii ne qvidem vola aut veſtigium ullum in reſiduo Henochiani Libelli *Fragmento* apparet. Confer modò, benigne Lector, dictum *Fragmentum* a nobis pag. 25, 26, 27, 28, 29 allatum cum Prophetia Enochi, qvæ extat in Epiſtola *Judæ*: mox, te judice,

ce, ſua noſtræ ſententiæ conſtabit veritas. Qvamobrem in re manifeſta & oculis obvia prolixâ probatione haut opus erit.

Ex iis, qvæ fuſiùs jam dicta ſunt, ſuapte ſponte ſeqvitur, nullum antediluvianæ Henochi Scripturæ e Judæ Apoſtoli vaticinio præſidium tutò qværi, nedum e ſuppoſitio perſonati *Henochi Fragmento*, qvod *Scaliger* edidit, Notiſqve ad *Euſebium* inſeruit, & *Kircherus* Latinâ civitate donavit. Non eſt dubium, inqvit Cunæus lib. 3. de Repub. Hebr. cap. 1. *qvin ſeverâ increpatione* Enochus *improbitatem caſtigaverit hominum ſui ævi. Atqve hæc res qvosdam nugatores excitavit, qvi ſtultâ perſvaſione ſiderati ſperavere ſe pôſſe ſeræ poſteritati illudere, qvippe inglorió ſtudiô & jejunâ operâ librum ôlim in vulgus extruſerunt, qvem ipſi, ſi Deo placet, ab* Enocho *ſcriptum ajebant. Profectò is liber aut e diluvii undis integer evaſit, cùm perirent ferè omnia, aut poſtea e cœlo delapſus eſt, qvod eſt anile. Qvanqvam qvid non audebit aſſerere ineptorum vecordia, cùm etiam Judæi dicant Eliam ſeptimô annô poſtqvam raptus fuit, literas ad Joramum Regem dediſſe ex cœlo, & addant adhuc hodiè illic omnium temporũ Faſtos ab eo componi.* Hæc ille. Faceſſant ergò, qvi incautioribus publicè fucum faciunt, & tam venerabile glorioſiſſimi Patriarchæ nomen impudentiùs proſtituunt. Hic enim immortalitate ante mortem donatus cunctorum mortalium vanitates in his terris procul habet.

Neqve propterea omnis Scriptura vel ſculptura literarum antediluvianarum abſoluto illi vivæ pietatis exemplari *Henocho* temerè abjudicanda erit; qvippe qvi ſplendida gemma & cœleſtis portio fuit Adamiticorum poſterorum, qvi duabus columnis ſua inventa (ἐνέγραψαν) inſcripſerunt, teſte *Joſephô*: cujus teſtimonium pleniùs allegatum invenies ſupra pag. 12. Qvæſt. IV ſic fuit: ſeqvitur modò

QVÆST. VII:

An dentur Literæ cœleſtes & Angelicæ, qvæ cœleſti auctoritate & veritate nitantur?

ANtediluvianæ *Literaturæ* Promachi animadvertentes ſuis manibus fœneum larvati *Henochi* pugionem facilè excuſſum iri: miſsîs terrîs, cum *Henocho* in cælum evolare nituntur, ut Literas ſuas luteas inter ſidera collocent, parumqve abeſt, qvin cœlitum conſortio pæne inferant.

ferant. Qvi Icarius conatus eò minùs metuendus, qvò altiùs aſſurgit. Primô qvidem aſpectu multis adeo formidabilis extitit hic leviorum ingeniorum volatus, ut eorum aſſenſum meruerit, qvi non modò Synagogæ Antiſtites judicati ſunt, ſed etiam domus Dei nivei lapides vulgò habiti. Altivolantium & cœleſtium *Alphabetariorum* horum numero annumerati comperiuntur *R. Ben-Jochai* in Zohar, *R. Akiba*, auctor libri Jeziræ judiciô *Kircheri, Rambam, Abraham Dior, Aben Ezrah, Radak, Jomtof, Ralbak, Arbalbanel*, aliiq; complures Rabbini. Qvorum ſimii qvidam Latini hoc dogma velut Διοπετὲς ambabus, qvod dicitur, ulnîs amplexari, exoſculari, propagare cœperunt. In hac utopicâ cœleſtium abecedariorum ſcholâ nomina profeſſi ſunt *Cornelius Agrippa*, *Paracelſus*, *Robertus Flud*, *Cicus Æſculanus* in Commentariis ſuper *Ptolomæi* Centiloqvium, *Poſtellus* Comment. in Jezira, *Origenes* Tom. Explan. in Geneſin, & qvi horum agmen magnô apparatu & igneô impetu paucis ab hinc annis ducere volupe duxit, *Gaffarellus* in Gallico Libro, cujus titulus *Les Curioſites inouyes*, id eſt, *Curioſitates inauditæ*: in qvo inauditâ prorſus concluſione concludit aliam non legi in cœlo *Literaturam*, qvàm *Ebræam*. Hos fictitii Alphabethi Auctores hâc vice indigitâſſe ſuffecerit; cùm illud vel levi digitulô tactum ſuapte vanitate ruat, tenueſq; in auras, vel nobis tacentibus, evaneſcat. Qvod ſi verò feſtinantes operæ typographicæ tantum ocii indulſerint, conabimur efficere, Deô benedicente, ut veritas & vanitas horum cœleſtium characterum ſuîs utrinqve momentis infrà librentur. In anteceſſum ominaturi aëriæ & planè ventoſæ auctoritatis fore præſidium, qvod character antediluvianus a cœlo ſibi polliceri habebit. Hactenus EXERCITATIO PRIMA GENERALIS: ſeqvitur SECUNDA SPECIALIS.

GLORIA
PRINCIPIO ET FINI
ליהוה הגאלי׃
A ET Ω.

EXER-

EXERCITATIO SECUNDA
SPECIALIS
DE
Literatura patriarchali, Literis Adami, Sethianorum, Henochi, Noachi, Hetruſcorum:
Item de
Literarum cœleſtium & angelicarum Figura & futilitate.

QVamvis poſt hominum memoriam magna qvidem humani ingenii vis cognita & perſpecta ſit in veri inveſtigatione, in multiplici inventione rerum præclararum & ad uſus vitę communis neceſſariarum: nemo tamen eſt qvi inficias ire poterit, qvin e diverſo temeraria hominum otio & ingenio abutentium curioſitas ſæpenumero plus juſto ſibi indulſerit in excogitandis iis, qvæ ſapientum judiciô non majus robur habere exiſtimata ſunt, qvàm [ut divini Prophetæ *Eſaiæ* verbis è cap. 59. v. 5. deſumptis utamur] קוּרֵי עַכָּבִישׁ hoc eſt, telæ aranei qvovis excitatô ventulô aut deciduâ de tectis guttulâ facilè diſſipabiles.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Vana hæc humanæ mentis temeritas vel ex unicô intuitu *Antedilu-vianæ Literaturæ* perſpici poteſt. Etenim extitit audaculum qvoddam hominum genus, qvod ſe ſupra vulgus haut commodiùs aut glorioſiùs eminere poſse putabat, qvàm ſi in *Literariæ antiqvitatis* commentis operam ac ſtudium conſumeret, adeóqve ſuum cuiqve ferè aurei ſeculi Patriarchæ Alphabetum affingeret.

Hinc enati ſunt varii ADAMI, SETHIANORUM poſterorum, HENOCHI & NOACHI characteres, qvi nitidîs typis ornati cum applâuſu in lucem prodierunt, atqve curioſorum hominum oculos admirabundos & animos ſolicitos hactenus detinuerunt. Fucum verò tantô illuſtrium nominum ſplendore obductum, tantâ divinorum Heroum auctoritate velatum, tamq; longinqvi temporis antiqvitate tectum haut facilè cuiqvam pellucere poſſe autumabant primi hujus Literaturæ architecti. Sæpe enim à tempore robur nanciſcuntur commenta & a magnis nominibus fidem.

Ceterùm, veluti ignavum fucorum vulgus bellè ordinatæ apum Reipublicæ inſidiatur, tectè alvearia ſubit, laborioſè comportatis & conſtipatis mellis favis veſcitur, tandemq; vernaculam apum familiam aut domô extrudit, aut fame interimit, niſi maturè eliminetur: conſimili ratione qvamdiu hi characterum fuci antiqvas ſedes & loca *genuinarum literarum* occupârint, & vetuſtatis jura ſarta tecta conſervârint; tamdiu ſuum decus, ſuam dignitatem & primigeniam antiqvitatem tueri neqveunt *illæ Literæ*, qvas ipſius JEHOVÆ digitus conſecravit & longè evexit ſupra omnes alias, qvas ſolers humanæ mentis & manus induſtria ullô unqvam tempore fingere aut formare potuit.

Qvamobrem, ut ſuus *divinæ* atqve *Ebraicæ Literaturæ* honor & antiqvitatis jus conſtet: *Antediluvianis Literis* fucata vetuſtatis ac dignitatis larva erit detrahenda.

Qvia verò neminem hactenus animadvertimus, qvantum mens noſtra ſpacium præteriti temporis reſpicere poteſt ac memoriam Literarum recordari ultimam, qvi hos fucatos characteres & notas planè nothas ſub juſtam cenſuram vocaverit; Imò, qvoniam *Generalem* de *Literis Adami* & *Adamææ poſteritatis* ante diluvium EXERCITATIONEM modò propoſuimus: agedum nunc in nomine JESU CHRISTI conando experiamur vires, & *Specialem* magis de hac LITERATURA

Patri-

Patriarchali tractationem inſtituamus, in primis cùm documenta Literaria rari & deſiti hujus argumenti alia nunc nobis ſuppetant, qvàm eô tempore, qvô has Literas primùm cœpimus rimari.

Qvapropter plurimùm confidimus Lectores tantò æqviores & noſtrorum laborum ac conatuum fore arbitros, qvantò denſioribus vetuſtatis tenebris circumfundimur, & qvantò magis aliorum ſcriptorum præviâ manu auxiliatrice fucum priùs ex profeſſo detegente ſumus deſtituti.

Nos itaqve divinâ gratia adjuti, cauſæ bonitate freti, & indagandæ veritatis ſtudiô incenſi impigrô animô in arenam deſcendemus: initiò ſtudiosè inveſtigaturi,

QVÆST. I,

Qvinam auctores Literis antediluvianis patrocinentur, de iis teſtentur, & qvibus figuris illæ expreſſæ extent?

PRincipiò qvidem haut abs re fuerit rem ab ovo ordiri & in primos fontes harum *Literarum* ſtudiosè inqvirere. Id qvod commodiùs haut fieri poſſe arbitramur, qvàm ſi ipſos hujus ſcripturæ vel ſculpturæ diluviô antiqvioris auctores, patronos & teſtes juſtô ordine & diligentiâ recenſeamus, qvi qvidem nobis cogniti ſunt, & qvorum ſcripta ad noſtras manus hactenus pervenerunt.


Ordiemur a primi hominis *Adami Alphabeto*, qvô, ſi genuinum eſſet, antiqvius prodi aut promi neqvibat, humanâ qvidem induſtriâ & ſolertiâ elaboratum. Hujus *Adamæi characteris* originem qvod ſpectat, non heri aut hodiè nata ante ſeculum viguit, diuq; in animis credulis ſedem fixit. Veluti verò hæc *Literarum* prima ſtirps, ut putatur, à publicis monumentis & nitidis ſculptorum cælis gratiam: ita ab illuſtri *Adami* nomine ſplendorem, a diuturnitate verò temporis, qvo intacta & ſeverioris examinis ſecura floruit, robur ac duramentum nacta eſt.

Ingrediamur modò atqve contemplemur ſpacioſum *Literarum* Forum, qvod *Iacobus Bonaventura Hepburnus Scotus, Ordinis Sancti Franciſci de*


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Paula, Pontificis Pauli V. privilegiô & ſuperiorum licentiâ confirmatus exſtruxit Romæ 1616, & *Auream Virgam* inſcripſit: mox velut in acta publica relatum teſtimonium de Literis protoplaſti intuentium oculis obverſabitur. Nam inter ſexaginta octo differentes *Literarum* formas magnô qvidem ſtudiô conqviſitas, ſed majori impendiô in æs inciſas ſpectatur talis typus

ADAMÆI ALPHABETI.



Sic vidimus *Hepburni* teſtimonium *Literarum Adamæarum* monimentis conſignatum. Sed tantùm vidimus. Qvare à nuda *characterum Adami* indice tabula obiter inſpecta, qvam *Hepburnus* Pontifici Paulo V. dicavit, rectà progrediemur ad luſtranda *Monumenta Italiæ* à *Laurentio Schradero Halberſtadienſe Saxone* edita, atqve inibi luſtrabimus eos *Adami* characteres, qvos in peregrinatione Italica viderat *Schraderus*, qvoſq; ex Bibliothecæ Vaticanæ Columna octava in muro ad effigiem *Adami* exſcriptos Helmſtadii ediderat 1592: qvibus mox alia *Adamæorum elementorum* forma ab *Hepburnæo Adami* charactere planè diverſa noſtris oculis ſubjungetur. Hæc autem talis eſt:



Qvoniam verò non modò in *Hepburnæa Literaria Tabula*, verum etiam in *Schraderianis Italiæ monumentis* jam allegatis nudas tantùm characterum figuras intueri licet: veniendum erit ad alios autores, qvi non minùs nonnulla fundamenta antiqviſſimarum Literarum ab *Adamo* formatarum tradere conati ſunt, qvàm nudos characteres typìs aut cælis exprimere. Hos inter tres in primis numerantur: *Angelus Roccha à Camerino* in Bibliothecæ Apoſtolicæ Vaticanæ Commentariô, qvem concinnavit & Romæ 1591. edidit: *Claudius Duretus* in Hiſtoria de Lingvis Univerſi, qvam Gallicô idiomate publicavit Coloniæ 1613: nec


non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

non *Theſeus Ambroſius ex Comitibus Albonesii* I. U. D. in Appendice Introductionis in Chaldaicam Lingvam, Syriacam, Armenicam atqve decem alias Lingvas, qvas Papiæ in Italia evulgavit 1539.

Initiò qvidem in illud *Adami Alphabetum* oculos defigemus, qvod *Angelus Roccha* in Commentario Bibliothecæ Vaticanæ videndum proponit pag. 79. & verba ejus audiemus, qvæ ita habent: *Supra hujus [picti Adami] caput characteres, ſive Literæ antiqviores, nunc Hebraicæ dictæ, ejuſmodi leguntur.*

Hebraicum Alphabetum antiqvius.



Ad ejuſdem verò Adami pedes Inſcriptio Latina in hanc legitur verborum formam:

Adam divinitus edoctus, primus ſcientiarum & literarum inventor.

Pergit *Roccha* p. 80. *Ratio ipſa perſvadet, Adamum divinitus edoctum diſciplinas, certoſq; præſertim ſcribendi characteres adeo neceſſarios aliis præmonſtrâſſe, ſicut Inſcriptio docet. Hanc autem formam ſcribendi hôc locô poſitam Hebraicas inter literas antiqviorem, primumq; Alphabetum fuiſſe* CREDENDUM EST, *qvod à dextro in ſiniſtrum latus legitur.* Hæc *Roccha.*

Porrò nunc ad primum & præcipuum hujus *Adamæi Alphabeti* promum ac patronum pedem promovebimus. Nobis qvidem nemo hactenus viſus eſt aut cognitus, qvi publicando *Literas Adamæas Theſeum Ambroſium* anteverterit. Etenim Annô Chriſti 1539. Papiæ primus evulgavit *Adami characteres*, eoſq; velut è mediis, ad qvas damnati memorantur, flammis eripuit. Qva de re ipſum *Theſeum* loqventem audiemus. Sex, inqvit Theſeus in Append. variarum Literarum p. 202, 203, *relatis Hebraicarum Literarum generibus, operæ precium me facturum arbitratus ſum, ſi alios haudqvaqvam ſpernendos Hebræorum characteres, à variis non infimi nominis autoribus excerptos in hac noſtra Appendice adderem. Inter libros Antonii de Fantis Tarviſini, olim Philoſophi & Aſtrologi excellentiſſimi, memini me vidiſſe opera Razielis, Picatricis, Bailum, Mercurii, Petri Apponis, Salomonis ac interpre-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

tis ejus Apollonii, & aliorum multorum, ex qvibus tanqvam ex virenti & florido
prato variarum Literarum flores & characteres diverſos collegi. Neqve enim
aliam ob cauſam tam diligenter libros illos, anteqvam in Vulcani poteſtatem a pa-
tribus noſtris, in qvorum manus ex teſtamento pervenerunt, legi; qvàm ut chara-
cteres illos Literarum ſcilicet varias figuras exſcriberem. In ſecundo qvippe Tra-
ctatu, in qvo de Lapidibus precioſis loqvitur Raziel, reprobata illorum opinione qvi
dicunt viginti duas Literas, de qvibus ibi loqvitur, à Camuele fuiſſe inventas; An-
gelum Raphael in Libro, qvi dicitur Liber ignis, illas Adæ protoplaſto dediſſe ſcri-
ptas aſſeverat, & ob id filios Adam eas recuſare non poſſe. Qvarum qvidem Lite-
rarum figuræ & nomina ſunt infrà ſcripta. Hactenus *Theſeus*. Qvia verò fi-
guris planè conveniunt hi *Angelici characteres Adamo* traditi cum iſto *Li-*
terarum Adamæarum genere, qvod ſuprà primô locô videndum propo-
ſuimus qvodq; nitidô ſatis cælô in æs incidendum curavit *Hepburnus*, no-
lumus Alphabetum huc denuo tranſctibere; aut idem bis cum tædio Le-
ctoris repetere, ne actum agamus.

Veluti verò *Theſei* veſtigiis preſsè inſtitit *Hepburnus* in Aurea Virga,
hoc eſt, Splendida variarum Literarum Tabula, qvando eaſdem qvas ille
Adamæarum Literarum Figuras attulit: ita *Claudius Duretus* ne latum qvi-
dem ungvem ab ejuſdem *Theſei* latere diſceſſit, niſi qvòd novâ teſtimo-
niorum ſymbolâ adjectâ diligentiam ejus ſuperare conatus ſit. Etenim
Primò allegat *Ambroſium Theſeum* tanquam ducem, qvem imitandum ſibi
propoſuit in divulgandis hiſce *Adami Literis*. Hujus enim narrationem
& auctoritatem velut ſcutum adverſantibus objicit. *Deinde* hunc titu-
lum eis præfigit: *Characteres de l'Ange Raphael*, Characteres angeli Ra-
phaelis. *Tertiò* plane eoſdem & numerô & habitu *characteres Adamiticos*,
qvos *Theſeus* ante ſeculum excudendos curaverat, ob oculos ponit
pag. 117. *Qvartò* & *ultimò* præſcriptis characteribus ſubſtruit nova fun-
damenta partim petita è Cabaliſtarum & Ebræorum Commentariis in
Librum Jezira, partim ex Patribus, *Epiphanio* & *Auguſtino*.

Primò qvidem è ſcriptis & Peruſchiis Rabbinicis in *Librum Jezira*
probare nititur, qvòd *patrum præceptores fuerint angeli noti, videlicet præce-*
ptor ipſius Adami Raziel, &c. *Secundò* aſſerit *Epiphanium* ad Panarium fa-
cere mentionem Libri, cujus titulus: *Adæ Revelatio, qvandò Deus immiſit*
ſoporem in illum. *Tertiò* tradit *Auguſtinum* contra Fauſtum Manichæum
meminiſſe *Libri Adamæi*, cujus inſcriptio & argumentum fuit de *Genea-*

logia


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

logia filiorum & filiarum Adami. Qvartò ait Librum qvendam Razielis angeli extitiſſe, qvi hunc prætulit titulum: *Chavæ ſive omnium viventium admirabiles & ſuper omnes doctrinas mundi ſecundum evangelicam Veteris & Novi Teſtamenti veritatem amplectendæ Prophetiæ, conſcriptæ a Raziele Adami primi parentis Angelo, ex Libra Behu, id eſt, Lucis puriſſimæ excerptæ. Qvintò* deniqve memorat *Sanctum Thomam* librô de Ente & Eſſentia affirmare ab *Abele* filio *Adami* librum fuiſſe compoſitum, &c. Univerſa *Durcti* diſſertatio eò collimat, ut è Libris, qvi Adamo tanqvam autori aſſignantur, *Literarum* Figuras, qvas *Theſeus* attulit, exſculpat. Nam ſine adminiculo *Literarum* Libros ſcribere non potuit *Adamus*. Qvamobrem neutiqvam ſe aberrâſſe putat, qvando *Theſei* exemplum ſeqvutus tale *Literarum* genus, qvale ſuprà à nobis expreſſum eſt, Protoplaſto *Adæ* tribuit. Sed ab *Alphabeto Adamæo*, ad *Literas filiis Seth* aſcriptas luſtrandas progrediemur.

Alphabetum filiis Seth ſigillatim tribui non obſervavimus niſi ab *Angelo Roccha* in Comment. Bibliothecæ Vaticanæ pag. 8. *Schradero* in Monumentis Italiæ, & autore inſcriptionum, qvæ viſuntur Romæ in Paraſtaticis columnis Bibl. Vaticanæ: qvem ducem ſeqvuti ſunt *Roccha & Schraderus*, ſed diſpari ſucceſſu. Hic enim Literarum ordinem confundit, ipſósqve characteres rudiùs ac impolitiùs formandos curavit: Ille verò in celebri ſuo Commentario, cujus jam aliqvoties meminimus, eundem plane ſitum & habitum Literarum *filiis Seth*, ut ipſe loqvitur, aſſignatarum exhibet, qvem ipſe in *Adamæo Alphabeto* videndum propoſuit, & qvem nos cælandum ſuprà curavimus. Hoc *Alphabetum poſteris Seth* tributum nullô aliô fundamentô fulcit *Roccha*, niſi geminîs illîs columnîs, qvarum meminit *Joſephus* libr. I. Antiq. Jud. *Harum una*, ait Roccha, *lateritia erat, altera ænea ſive marmorea: illa contra ignis conflagrationes, hæc contra aqvæ alluviones erecta, ut monimenta ipſa diutiùs conſervarentur & permanerent. His in columnis liberales artes, & eas præſertim, qvæ ad obſervationem ſiderum pertinerent, conſcripſerunt. Joſephus autem ad ſuam uſqve ætatem columnam illam marmoream in Syria duraſſe teſtatur.* Hæc *Roccha*, qvi porrò addit opinandum eſſe, qvòd hoc *Alphabetum filiis Seth* præmonſtratum ſit ab *Adamo*. Tzetzes Chiliad. 5. Hiſt. 26: Κἂν Σὴθ ἑβραῖοι λέγωσιν ἐφευρετὴν γραμμάτων, *qvamvis Seth Hebræi dicant inventorem literarum*: qvô locô ipſi parenti Setho literarum inventum tributum obſervas. Cæterùm ab *Alphabeto filiorum Seth* ad *Literas Henochæas* deſcendemus.

Heno-

Henochi Literas, qvoad inveſtigare licuit, primus publicavit *Joannes Auguſtinus Pantheus Venetus Sacerdos*. Is Librô, qvem mirô titulô & hybridâ voce inſcripſit *Voarchdumiam contra Alchimiam*, & Venetiis edidit 1530, *initiò* qvidem uſitatas & hodiernas *Ebræorum Literas* ſpectandas proponit pag. 12. *Deinde* eaſdem ornatiùs excuſas ob oculos ponit atq; illos characteres fuiſſe aſſerit, qvos in monte Sinai Deus *Moſi* conceſſerat pag. 13. *Tertiò* Figuras Literarum *Abrahæ* traditarum exhibet. p. 14. *Qvartò* deniqve talem *Henochæi Alphabeti* typum exprimit pag. 15.



Has *Literarum Henochæarum* umbras, qvibus formidoloſæ ſuæ Voarchdumiæ arcana [myſteriô enim Ebraicarum Literarum, in primis qvatuor, לקצר, artis ſuæ ſecreta tegit] obſcuravit *Pantheus*, feſtinus captat *Duretus* pag. 127. citati ſuprà Libri, eáſq; pro veris *Henochi Literarum* antiqvitate venerabilium figuris orbi literato obtrudit. Ne verò planè tacuiſſe videatur, poſtqvam hos *characteres* ob oculos poſuit, hæc ſubjungit: *Nobis, qvi hôc ſæculò vivimus probè innotuit extare in Æthiopiâ Librum magnæ authoritatis & pro Canonico habitum, qvi res divinas complectitur & Enocho tanqvam auctori tribuitur.* Cetera, qvæ addit, planè ſunt ἀλλότρια, qvare ea adſcribere operæ precium haut putamus.

Verùm enim verò à *Pantheo* & *Duretho* abit *Jac. Bonaventura Hepburnus* expreſſurus *Henochi characteres*, & in ſua *Aurea Virga* hodiernos characteres Ebraicos, ſed elegantiuſculè ſculptos & punctulis in mediô inſtar rhomborum pulcherrimè cælatos pro *Henochæis Literis* agnoſcit. Qvia verò nudas ſaltem Literarum Figuras exhibet *Hepburnus*, fruſtrà ab ipſo rationes & diductiorem confirmationem *Alphabeti Henochæi* exſpectaveris. Sed miſsis *Literis Henochi*, ad *Noachi* characteres veniemus.

Qvi in colligendis ac cælandis variis Literarum generibus omnium induſtriam ſuperare conatus eſt *Bonaventura Hepburnus* in Magna & Splendida octo & ſexaginta characterum Tabula, *Virga Aurea* dicta, hiſce ſeqventibus figuris ſculptum exhibet.

NOA-

NOACHICUM ALPHABETUM.



Heic planè ſilent *Theſeus* & *Duretus*, audaces aliàs *Antediluvianarum Literarum* promi & patroni, ſolus *Hepburnus* loqvitur; ſed qvô ſucceſſu, mox Qvæſtione Secundâ oſtendemus. Neq; alibi in antiqvis Monumentis *Literarum* qvicqvam obſervare hactenus potuimus, qvô talis *Noachi* ſcriptura confirmetur, niſi cuipiam placuerit ad partes vocare *Noachi Librum*, qvem Cabaliſtæ tradunt à *Chamo* in arca patri ſurreptum fuiſſe: De qvo *Delrius* Diſq. Magic. Lib. 1. c. 5. qvæſt. 1. Aut ſi qvis velit *Noachi Teſtamentum*, ejusq; epiſtolam huc trahere qvâ ſuprema tanti viri voluntas contineri perhibetur, qvam paucis abhinc annis e ruderibus Volaterranis erutam cum aliis Etruſcis Antiqvitatibus *Proſper* Italus divulgavit. Atq; ſic etiam luſtravimus *Literas Noacho* aſcriptas.

Ecce Scriptores, patronos, editores ac teſtes Literarum, qvæ ante diluvium viguiſſe memorantur, juxta ætates Patriarcharum ordine recenſuimus, atq; ipſos characteres velut indice digitô ſollertibus *Antiqvitatis Literariæ* ſcrutatoribus hactenus monſtravimus. Id autem tantò prolixiore narratione, majore induſtriâ ac curâ perſeqvi ſtuduimus, qvantò rariora ſunt illa Monumenta, ex qvibus tanqvam fontibus hos *priſcarum Literarum* rivos duximus, & qvantò circumſpectiore ac candidiore fide verſari oportet in aliorum ſcriptis, qvorum ſententiam aut refutandam ſuſcipimus, aut imitandam nobis proponimus. Qvamobrem id operam dedimus, ut non modò ſenſum auctorum, ſed & totidem Latinîs verbîs dicta ac ſcripta eorum bonâ fide referremus, & ipſorum Aboriginum antediluvianorum elementa ad vivum exprimenda curaremus. Nunc porrò in eorum gratiam, qvibus inveſtigatio veri cordi ac curæ eſt, memoratos Patriarcharum characteres, eorum teſtes ac patronos convocatos ad tribunal veritatis divinâ adjuti gratiâ examinabimus. Ut autem ibi veritas ac falſitas ſuîs utrinq; momentîs librentur, initiò cum expendendum erit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

QVÆST. II:

An Bonaventuræ Hepburni patrocinium ac teſtimonium ſatis validum ſit ad evincendum Alphabetum ſuprà ſcriptum proprium fuiſſe Adami? N.

Cùm veritas necdum occupata omnibus pateat, cùm ſcriptores,qvos jam vidimus *Literis* aurei ſæculi patrocinatos fuiſſe, Domini noſtri non ſint, ſed rerum dubiarum teſtes,cumq; eorum dicta tanqvam edicta, & teſtimonia ut imperatoria mandata æſtimari nec poſſint nec debeant: agedum, Deô conatibus noſtris benedicente, in auctoritatem & fidem ſcriptorum,qvi hactenus teſtimonia tulerunt de *Characteribus antediluvianis*, ſedulò inqviramus expenſuri, qvid valeant tam grandia & inſolita auſa, qvid ferre recuſent.

Omnium primus ad tribunal venit *Hepburnus Scotus* cauſam dicturus, qvia primus teſtimonium dixit, veluti ſuprà oſtenſum eſt. Hujus autem teſtimonium de *Adami Literis* non tam momentoſum eſt, qvàm ſpecioſum, typíſq; elegantiſſimís ſplendidum. Qvia enim in vaſto illo *Literarum* Theatro nil niſi nudas variorum characterum figuras intuendas proponit: eadem facilitate *Hepburnæum Adami alphabetum* rejicitur à curioſis veritatis æſtimatoribus, qvi non niſi ſolida rerum momenta & rationes ponderant atqve probant, qvâ admittitur a credula turba. Etenim hæc non raró inſtar puerorum, qvi miſsîs precioſîs rebus, pulchras imagines cupidè captant & amant, non tam rerum pondera ac valida fundamenta penſi habet, qvàm evanida ſimulacra. Dignum ſanè patellâ operculum. Cùm itaq; patrocinaturus *Hepburnus Adamæo characteri* meras tantùm *Adamæarum Literarum* imagines proferat, nec ullâ eas aut ſolidâ auctoritate aliorum virorum fide dignorum,aut antiqvitatis verîs documentîs,niſi ſuô teſtimoniô confirmet, ex eo efficitur, qvòd arbiter, teſtis, & patronus idoneus cenſeri non poſſit, in primis rei inſolentiſſimæ & hominum fidem prorſus excedentis, niſi qvis propriæ cauſæ & teſtis & actor & judex ſimul eſſe velit,id qvod jura haut permittunt.

Deinde, illud *Adami alphabetum*,qvod *Hepburnus* aſtruit,*Roccha* & *Schraderus* deſtruunt, Etenim hi longè abeunt ab *Hepburno*, qvando characte-

res

res planè alios qvàm ille, *Adamo* aſſignant. Neceſſum igitur eſt, ut aut tranſigat *Hepburnus* cum *Roccha* & *Schradero*, priuſqvam certi aliqvid ſtatuerit de avitis *Adami* Literis, aut eos erroris convincat & ſe ſolum regiam veritatis inſiſtere viam demonſtret, ſi *Adamiticarum Literarum* auctoritatem & ſplendidæ ſuæ Tabulæ dignitatem ſartam tectam conſervare velit.

Tertiò, qvòd ſi qvis *Tabulæ Hepburnææ* varia *Alphabeta* inſpexerit & rectæ rationis librâ ponderaverit, mox animadvertet nonnulla eorum vel plumîs leviora fore. Qvo fit, ut fides auctoris elevetur, auctoritas periclitetur, ſuſpecta reddantur reliqva *Alphabeta*, in primis ea, qvæ hactenus incognita & inaudita fuerunt. Id qvod inſtitutô nonnullorum *Alphabetorum* in Literario *Hepburni* abaco extantium examine ad oculum oſtendere conabimur.

Tabulam *Hepburnæam* qvando contemplamur, mox animadvertimus in eâ aliud extare *Græcum Alphabetum*, aliud *Latino-Græcum*, aliud *Atticum*, aliud *Æolicum*, aliud *Ionicum*, aliud *Doricum*. Ita pro varietate præcipuarum Dialectorum varia *Hepburnus* diſtribuit *Alphabeta*: perinde ac ſi qvis vellet alias Danis, alias Sædlandis, alias Fionis, alias Cimbris, alias Scanis Literas affingere, qvi tamen omnes unus Daniæ populus eisdem utuntur characteribus. Licèt verò ſcribendi artificium in hoc magis exqviſitum, qvàm in alio appareat: Tamen hæc καλλιγραφία non mutat ſpeciem, ut Philoſophi loqvuntur. Mirari autem ſubit, cur *Hepburnus* plura pro ingenii libertate non confinxerit Græcorum Alphabeta, ſcilicet *Bœotica*, *Theſſalica*, *Chalcidica*, *Macedonica*, *Pamphylica*, *Argiva*, *Laconica*, *Cypria*, *Cretica*, *Sicula*, *Syracuſana*, *Rhegina*, *Tarentina*, qvum tot extiterint nationes, qvæ Græco ſermone uſæ qvondam fuerant. Sed fortè cautiùs prævidebat fraudem minùs manifeſtam fore, qvæ paucorum Græcorum dialectô differentium diverſîs Literîs tegebatur. Hæc tamen adeò evidens eſt, ut planè cœcus ſit oporteat, qvi eam non animadvertat. Veluti autem fraudum genitricem audaciam fuiſſe ſæpe compertum eſt: ita niſi priùs audax fuiſſet *Hepburnus*, facilè ſibi ab hoc dolo temperâſſet. Audaciam autem ejus inde cognoſces. Numerum ſuarum Literarum ut in immenſum pæne augeret, illud *Alphabetum*, qvod *Theſeus* in Append. Literarum pag. 196. vocat generatim Ἑλληνικὸν, *Hepburnus* magnô auſu ſigillatim *Æolicum* fuiſſe indigitat. Rurſum, alium *Græcum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Theſei, novâ licentiâ *Atticum* nominat. Adeò ut fingendi refingendíqve Alphabeta in Tabula *Hepburnæa* magnam audaciam ac temeritatem cernere liceat. Sed ad novos characterum dolos in eadem Tabula conſpicuos detegendos pergamus.

Qvemadmodum veritas unica, ſimplex, & ſui ſimilis exiſtit: ita e diverſo mendacium varium eſt, πολύμορφον & πολυποίκιλον. Eqvidem velut unda undam pellit: pari ratione inſtar undarum ſæpe glomerantur figmenta, ac volubili qvodam æſtu in vagis ingeniis fluctuant atqve exundant. Creſcunt eundo, ex ſucceſſu capiunt incrementa. Qvamobrem poſtqvam *Hepburnus*, audaculus Literarum faber, ſubolfecerat *Alphabeta* Græcis affictа, & pro diverſitate idiomatum obtruſa, non modò à Cenſoribus Romanis approbari, ſed etiam publicas fraudes Superiorum privilegiô confirmari, immane dictu qvàm creverit comminiſcendi audax cupido, qvantas vires ſumpſerit e ſucceſſu, qvanta fœtuum Literariorum nothorum facta ſit acceſſio. Etenim mox Tabula *Hepburnæa* inſtar gravidæ matris aliud peperit *Chaldaicum* Alphabetum, aliud *Babylonicum*. Non ſecus ac ſi qvis fingeret Latinas Literas a Romanis diverſas eſſe, vel alias dari Literas Romanorum, alias Latinorum. Aut ſi qviſpiam fingeret alios eſſe characteres Hollandorum, alios Amſtelodamenſium; item alios Miſnenſium, alios autem Lipſienſium, & ſic deinceps. Nemo enim ignorare poterit, qvòd Babylon primaria ſit Chaldææ civitas. Qvare ſi ex mente Hepburni juxta numerum civitatum & regionum multiplicanda forent alphabeta, opinione citiùs multitudine Literarum diſcipuli Alphabetarii obruerentur, & in iis diſcendis maxima vitæ pars conſumeretur, aliaq; incommoda ſeqverentur.

Sed necdum ceſſat *Hepburnus* cumulare Literarum qvisqvilias. Nam mox in eadem Tabula pari auſu aliud *Palæſtinum* Alphabetum, aliud *Cananæum* cudit, cùm tamen *Palæſtina* & *terra Canaan* uſu communi ſint Synonyma apud Scriptores. Sed *Palæſtinos characteres* mutuos ſumpſit ab Append. Lit. *Theſei* p. 201. & qvos *Theſeus Chaldaicos*, *Hepburnus* vocat pro auctoritate *Palæſtinos*. *Cananæum* itidem *Alphabetum* ex eodem *Theſeo* p. 201. deſumpſit, & ſolùm more ſuo nomen ejus mutavit. Rurſum conſimili licentiâ, qva Babylonicum a Chaldaico, Palæſtinum à Cananæo diſtinxerat, novum fabricat *Galilæum Alphabetum*, cùm tamen Geographi *Galilæam* pro regione Canaan ſeu terræ ſanctæ habeant. Eqvidem ſi pro

pro arbitrio ingenii citra experientiam & contra conſvetudinem liceret nova ſingulis provinciis & regionibus particularibus obtrudere elementorum genera, tot extarent literarum formæ, qvot partes terrarum, qvot plagæ regionum, nec ullus fingendi finis foret. Hæc & alia plura evidenti ſunt documento non pauca *Alphabeta*, qvæ in Tabula *Hepburni* conſpiciuntur, eſſe ſpuria vix titivilitiô redimenda. Qvamobrem qvivis facilè videt, qvid judicandum ſit de *Hepburni* fide in publicandis *Adami Literis*, qvi tot vicibus ſubleſtæ fidei ac impoſturæ convictus eſt. In perfido fruſtra qværis fidem. Veluti ei poſtea credi non oportet, qvi ſemel pejeraverit, ut ait Comicus: ita qvi ſæpius fidem fregerit, ei poſtea tutò qvis fidere neqvit, in primis in re maximè dubia, valde ſuſpecta & omnem fidem longè excedente. Cùm itaqve *Adami Literæ* nullum certæ auctoritatis, fidelis patrocinii ac veri teſtimonii præſidium ab *Hepburno* toties minùs fido exſpectare habeant: qværendi ipſis erunt novi patroni magiſq; fidi teſtes, atqve eorum fides coràm exploranda. Qvapropter, *Hepburno Scoto* forô cedere juſſo ſuccedit ac ſuccurrit Italus, *Angelus Roccha a Camerino*, tanqvam novus patronus, cujus fides qvanti ſit facienda, mox apparebit, ubi veritatis coticulam ſenſerit. Qvô etiam nomine qværimus,

QVÆST. III:

Num Angeli Rocchæ auctoritate Adamæarum Literarum ſinceritas ſolidè probari & confirmari poſſit? N.

PRimò, ſententiam ac teſtimonium dicturus *Roccha* de *Literis* propriis *Adami*, diſertis verbîs pronunciat illud *Alphabetum*, cujus typus ſuperiùs ex ipſius *Rocchæ* Commentario pap. 79 monſtratus eſt, & qvô Samaritani utuntur, eſſe *Hebraicum antiqvius*, & qvidem *primum*. Id autem ut nobis perſvadeat, cum *Hieronymo* & *Genebrardo* docet p. 89, 92 Comment. Literas, qvibus V. T. monumenta conſignata extant, novas eſſe & ab Eſdra inventas. Qvamvis verò noſtri inſtituti ratio haut permittat, ut hanc controverſiam a doctiſſimis viris & Literatoribus Ebræis ultrò citroq; agitari ſolitam pluribus jam perſeqvamur: tamen *Rocchæ*, *Genebrardi* & aliorum ſententiam, qvâ Eſdræ Literarum mutationem & novi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

novitatem adjudicare præſumunt, tanti ponderis haut eſſe arbitramur, ut elevet antiqvitatem characterum, qvi hodiè viſuntur in Bibliis Ebræis, & qvibus Prophetæ monumenta ſua conſignârunt atqve ad poſteros transmiſerunt. Id qvod malumus luculentâ & eruditâ diſſertatione *D.D. Brochmanni*, Sædlandiæ Epiſcopi qvondam venerabilis confirmare, qvàm noſtrîs verbîs. *Si Eſdras*, inqvit Syſtem. Theol. cap. 2. de Sacra Scripturâ Qvæſt. 8, *tale qvid feciſſet, nec ipſe, nec Nehemias, non deniqve Joſephus hoc, qvippe* ἀξιομνημόνευτον, *ſilentio involviſſet. Deinde edicant hujus ſententiæ aſſertores, qvâ probabilitate dici qveat, omnia Biblica exemplaria priſcæ iſtius Scripturæ ita abolita, ut ne unum qvidem uſpiam ſuperſit? Tertiò non poteſt afferri immutatæ Scripturæ certum ac ſolidum fundamentum.* Plures rationes ibidem loci allatas, qvibus *Rocchæ* aſſertio ſolidè refutatur, ipſe lege: & mox apparebit, qvàm infirmum ſit argumentum a novitate hodiernorum characterum deductum, & ad evincendam antiqvitatem *Scripturæ Samaritanæ*, qvam *Roccha* defendendam ſuſcepit, minùs efficax, imò planè ineptum ad probandum *Samariticum characterem* fuiſſe *Adami* proprium Alphabetum. Sed hæc fuſiùs infra ediſſertabuntur.

Deinde, adeo certus & ſecurus eſt *Roccha* de hiſce Literis, qvòd omnium *primæ* fuerint, ut nobis perſvadere auſit, id *credendum eſſe*. Etenim pag. 80 hæc ſunt ejus verba: *Hanc ſcribendi formam hôc locô poſitam* [Samariticam] *Hebraicas inter Literas antiqviorem, primumq; Alphabetum CREDENDUM EST.* Sanè affirmanti incumbit probatio, non abſoluta debetur fides ſine evidenti documento aut ſolida ratione, in primis ubi de humanis rebus aut hominum inventis ambigitur. Grande itaq; & audax *Rocchæ* poſtulatum eſt, qvâ ſibi affirmanti *Samaritarum Literas* priſcos ac primos hominis primi *characteres* eſſe, credi poſtulat. Sæcula verbô Dei condita eſſe fide præcipimus ex præſcripto Gentium Doctoris & Apoſtoli Pauli Ebræor. c. 11. v. 3. Alphabeta verò humanæ mentis & manus inventa ac ſi Symbola Apoſtolica forent, talia vel talia credenda eſſe, qvis unqvam vel fando audivit, niſi ſolius *Rocchæ* verbis ac audaculô ore proditum? Qvamobrem niſi Roccha aliâ ratione fidem conciliaverit ſuo Alphabeto minùs fido ac firmo, illud primum & antiqviſſimum eſſe credere haut obligamur.

Tertiò, is cui credere oportet, omnimodè fidus erit, in dictis ac factis conſtans. Sed verò ſi in *Rocchæ* fidem in aliis Literis publicandis & ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

certum auctorem primum referendis ſedulò inqviſiverimus, deprehendemus eum parùm ſibi conſtare, ejusq; fidem vacillare, qvi ſua dogmata Literaria credi poſtulat, perinde ac ſi indubitatæ fidei articuli eſſent, & is qvi ea prodidit ſolus mereretur, ut ſibi aliqvid pronuncianti mox unanimi voce omnes acclamaremus antiqvum illud, GRANDE SOPHOS, vel, ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ. Hunc autem applauſum & plenum aſſenſum haut ubiq; mereri Roccham, id cuivis ad oculum patebit, ſi qvis inſpexerit *Ægyptiorum Literas Sacras* dictas, qvas *Roccha* Mercurio tanqvam primo inventori tribuit pag. 101. Harum figuras nunc oculis ſubjicimus:



Hos eosdem characteres, ne qvidem unicô apice mutatô, poſtea p. 180, velut ſui immemor aſcribit *Memnoni* tanqvam primo auctori Et ſi vel maximè alterutrum horum tantùm fuiſſe inſtauratorem mitiore & cautiore voce interpretari qvis poſſet: tamen jacentis aut incultæ *Literaturæ* inſtauratio atqve expolitio inſtitui vix potuit ſine aliqva neglecti characteris mutatione in melius, καλλιγραφίας ſtudio & ſcribendi commoditate, qvæ nulla heic cernitur, cùm idem *Alphabetum* tanqvam crambe bis non tam cocta qvàm cruda apponatur.

Porrò, ipſa *Elementorum* facies fucum prodit. Nulla enim harum *Literarum Sacrarum* Ægyptiis aſcriptarum vel minimum characterem eorum refert, qvi viſuntur in *Pamphilio Obeliſco* aut *Oedipo Ægyptiaco Athanaſii Kircheri*, viri harum literarum peritiſſimi, in cælata *Pignorij* Tabula, aut *Iſiacis* imagunculis, *Obeliſco* Romano, qvem Exercitat. V oſtendimus, *Jacobi Boſii* ſculpturis Ægyptiacis, qvæ extant in Libro, qvem ſcripſit de Cruce, aut *Ulyſſis Aldrovandi* figuris Hieroglyphicis, qvarum typus exhibetur l. 10. Ornithologiæ, *Becani* ſimulacris Ægyptiacis, Pauli Petavii monumentis characteres Ægyptiacos oſtendentibus, qvæ Pariſiis 1610. ſunt excuſa, aut deniq; in monumento Ægyptiaco, qvod Pataviô ad nos benignè tranſmiſit *Johannes Rhodius*, vir celeberrimus & affinis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

affinis honoratiſſimus, in qvibus eſt vera ſedes & theatrum ſacrarum ac Hieraticarum Literarnm Ægyptiacarum, qvibus uſi ſunt Prophetæ Ægyptii, teſte *Clemente Alexandrino, Oro* & *Cauſſino*. Sed ecce ipſam *Jaſpidis* figuram *Literîs ſacris Ægyptiacis* cælatam ob oculos poſuimus, ut ex ipſius inſpectione clarè pateat veras Ægyptiorum *Literas* longè alias eſſe, qvàm qvas *Roccha* oſtentar. Hunc autem *Jaſpidem* CL. & celeberrimus vir, *Joan. Veſlingius Med. D. & olim Profeſſ. Anatomicus Patavinus* ſecum detulit in Italiam ex celebri totius Ægypti metropoli Alcairo, qvam alii Europæi *Cahirum* vel *Cairum* nominant, ipſi incolæ vocant nunc *Alcahera*, nunc *Metſr*, à *Metſraim* Nöe nepote ducta appellatione, qvæ Græcis & Latinis olim *Memphis* dicta eſt.




Neqve juvat cauſam *Rocchæ*, qvòd *Plutarchum, Diodorum Siculum, Ciceronem & Tacitum* laudet ſuæ ſententiæ parronos. Etenim dicti auctores unanimi ore tribuunt qvidem Mercurio inventionem qvarundam *Literarum*, veluti nos Exercitatione aliâ, Deô juvante, prolixè ſumus confirmaturi: neutiqvam tamen ſigillatim indigitant hoc Alphabetum, qvod modò ob oculos poſitum eſt, Mercurii proprium eſſe, cujus inventor, judice *Roccha*, fuiſſe perhibetur.


Imò contrarium potiùs e *Plutarcho* evincitur. Etenim ſi locum ejus, qvi extat Lib. 9. Sympoſ. qvæſt. 3. inſpexerimus, evidenti erit documento, veriùs *Vulgarium Ægyptiacarum Literarum* inventionem Mercurio

rio tanqvam ptimo auctori aſcribendam eſſe, qvàm *Sacrarum* & *Hieraticarum*. Nam poſtqvam affirmâſſet Mercurium Ægyptiis tradidiſſe *Literas*, vivum exemplum *primæ Literæ* in Alphabeto Ægyptiaco proponit *Ibin*, & dicit: Διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον Ἶβιν γράφουσιν, ὡς Ἑρμεῖ προσήκουσαν, hoc eſt, *Itaqve primam Literarum Ægyptij ſcribunt Ibin, qvaſi Mercurio obedientes.* Hujus autem divaricati pedes triangulum conſtituunt, qvos immiſsô roſtrô velut medios ſecat, ut teſtatur idem *Plutarchus* l. de Iſide & Oſiride. Majoris lucis ac evidenriæ cauſâ haut abs re fuerit figuram hujus Literæ Mercurialis mutuam ſumere e noſtra Exercitat. Hieroglyphica, cujus editionem paramus, & cum hac noſtra obſervatione conferre.

Sed verò, tantùm abeſt, ut *prima Litera* in ſacro Mercuriali *Alphabeto* expreſſa a *Roccha* referat *Ibin* divaricatis pedibus inſiſtentem, iiſq; roſtrũ immittentem vel colubrum innectentem, cui ea avis inſidiatur, qvomodo *a Pignorio* in Expoſitione Menſæ Iſiacæ pingitur, ut potiùs ſimilior appareat τῷ P Græcorum, cujus pars dextra ſuperior luniformis ac falcata, aut τῷ P Latinorum, in primis illi, qvod in antiqvis Libris ac Monumentis uſitatum fuiſſe animadvertimus. Qvòd ſi verò inſpexeris *Alpha* primum in *Alphabeto Ægyptiaco* vulgari & Græcanico, qvod planè ductum Ægyptiaci Alpha ſeqvitur, ſi καλλιγραφίαν excipias, clarè ad oculum patebit, illud *Ibide* ex ſententia *Plutarchi* ſuperiùs formatâ & diſpoſitâ repræſentari. Ex his modò dictis manifeſtum evadit, cujus monetæ, fidei & roboris ſint *ſacræ Literæ Ægyptiacæ* inconſtanti aſſertione nunc Mercurio, nunc Memnoni aſſignatæ ab *Angelo Roccha*. Rectè venit in mentem novæ fraudis, cujus tenetur *Johannes & Iſrael de Bry*, qvi in Tabulis variorum characterum editis Francofurti 1596. *Indicum* ſuum *Alphabetum* ex hoc *Mercuriali* conſuerunt, invertentes ſaltem *Literarum* ordinem. Adeo fœcundus eſt error, ut editus in lucem mox alios complures ſui ſimiles parturiat.

Ejuſdem coloris & valoris cum priori eſt Alphabetum Ægyptiacum, qvod *Roccha* pari incuriâ attribuit non modò *Iſidi* Reginæ tanqvam primæ inventrici p. 89, ſed etiam *Herculi Ægyptio* ut primo auctori p. 104. Licet verò utrobiqve figuræ eædem ac prorſus invariatæ cernantur: tamen haut dubitavit *Roccha* primò *Ægyptias* pronunciare, mox velut ſui immemor *Phrygias* dictitare. Harum Figura talis eſt;





Hæ incertæ autoritatis *Literæ* tanqvam qvædam propagines magnam partem enatæ videntur e putri radice *Ægyptiaci Alphabeti*, qvod in Appendice multarum Literarum manu *Theſei* conſitum videmus pag. 205. & ab *Autore Inſcriptionum* publicarum in Vaticanam Bibliothecam velut florentiſſimum hortum transplantatæ; mox verò manu *Rocchæ* excultæ ac Commentariô illuſtratæ. Multò tamen prudentiùs feciſſet *Roccha*, ſi famæ, exiſtimationi & fidei ſuæ, qvæ non tam periclitatur, qvàm prorſus labefactatur, conſuluiſſet, ſcapham dixiſſet ſcapham, adulterinæ monetæ *Literas* Lydiô veritatis lapide probâſſet, minùs probas e Commentariô aut eliminâſſet, aut meritô ſuô caſtigâſſet. Eqvidem ſi fides *Angeli Rocchæ* majus robur non habeat, qvis qvæſo tutò fidet, nedum credet ei aſſerenti characteres ſuprà propoſitos, proprios ac genuinos eſſe *Adami* fœtus? Hactenus vidimus & expendimus, qvantùm valeat fides & autoritas *Angeli Rocchæ* in confirmandis *Literis Adami* & aliorum: nunc porrò veniendum erit ad *Theſeum Ambroſium Adamæi characteris* patronum facilè principem ac primum. Cùm verò ipſi pro ſe ex ſuo charactere antiqviſſimo & Angelico ſententiam dicenti ſuprà aures præbuimus: ſupereſt modò, ut qvas vires ea habeat, diligenter examinemus. Qvapropter inqvirendum duximus,

QVÆST. IV:

Num Ambroſii Theſei auctoritas ſufficiat demonſtrandæ Adamæi characteris veritati ac primigeniæ integritati?


IN cauſa dubia haut ſuffecerit unius teſtimoniô uti. Nam omnem cauſam duorum aut trium teſtimoniô ſtabilitum iri teſtatur *Chriſtus*

Matth.


Matth. 18, 20. *Paulus* 2. Corinth. 13, 1. Ebræor. 10,29. & ante eos *Moſes* Deut. 17,5. In Jur. Civ. L. juris jurandi 12. ff. de teſtibus. *Unius teſtimonium nemo judicum in qvacunq; cauſa facilè patiatur admitti. Et nunc manifeſtè ſancimus, ut unius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi præclaræ curiæ honore refulgeat.* Nos itaqve in cauſa Literaria, qvæ paulò obſcurior ac difficilior viſa eſt, haut tutum putavimus unô ſaltem uti teſte. Geminum hactenus audivimus *Hepburnum Scotum & Roccham Italum*: his nunc ſe tertius adjungit *Theſeus*. Qvàm validum verò ſit ejus Teſtimonium, nunc cum curâ expendemus.

Primò qvidem curiosè explorandum erit, an *Theſeus* ſit teſtis ſat fide dignus in ferendo teſtimonio de variis Literarum generibus. Dudum id negavit *Joſephus Scaliger*, & poſt eum *Kircherus*. *Scaliger* qvidem lib. 4. Epiſt. 444. qvi de fide *Theſei* ad CL. virum *Johannem de Laet* ita ſcribit: *Alphabeta illa, qvæ miſiſti ineptiſſima hominum imperitorum commenta ſunt. Ea primus Ambroſius Theſeus Papienſis edidit, ab eo nuper Angelus Roccha Auguſtinianus in librum ſuum de Bibliotheca Vaticana exſcripſit. Qvi hæc non ſentiunt ab otioſis conficta, nihil in Literis vident. Athanaſius verò Kircherus* in Prodromo Ægyptiaco cap. ult. pag. 222. fidem *Theſei* & Theſeanorum elementorum ſic elevat: *Nunc deſunt tamen, qvi hanc ſcripturam Sacerdotalem ex myſticis certi cujuſdam Alphabeti figuris conflatam aſſerant, cujuſmodi in Appendice diverſarum Lingv. Introductionis ſuæ in Lingv. Orientales Ambroſius Theſeus adducit: verùm cùm nulla inter Hieroglyphicorum monumenta hujus alphabeti reperiam, meritò ceteris id genus ſuppoſititiis annumerandum cenſeo.* Actum igitur eſt de *Theſei* fide, ut ita dicamus, Literariâ, ſi hi audiendi ſint. Alphabetum verò illud Hieroglyphicum, qvod à *Kirchero* tanqvam ſpurium rejectum eſt, e pag. 196 Append. diverſ. Literarum *Theſei* huc tranſcriptum unà cum duobus aliis hypobolimæis alphabetis Ægyptiacis, deſumptis ex eadē Appendice p. 205 oculis ſubjicimus hôc modulô:

Γράμματα τὰ καλούμενα ἱερογλυφικά.



Alphabetum Ægyptiacum.



Secundò , cum *Theſei Ambroſii Comitis* teſtimoniô ita comparatum eſt, ut non modò *Comite* ſit indignum , ſed etiam homine Chriſtianô ; non tantùm debile nimis ſit ad ſtatuminandas parietinas *Adamæi Alphabeti*, verùm & prorſus turpe ac infame. Ratio in promptu. Nititur iſtis ſcriptis tanqvam fundamentis, qvibus publicæ infamiæ nota inuſta eſt, qvæ Magiæ crimine non vacant , & qvæ ultricibus flammîs expianda veniunt. Etenim pro ſe & ſuo *Alphabetho* probando adducit impia *Picatricis*, *Bailum*, *Petri Apponis* monumenta, nec non *Salomonis*, *Mercurii* ac Salomonis interpretis *Apollonij* Libros. Hos ſcriptores antediluvianæ vel potius *Utopicæ ſuæ Literaturæ* primos auctores laudat, hos haut infimi nominis viros fuiſſe pronunciat *Theſeus*. Horum ſcripta tanqvam florida prata ipſius oculis adeò adblandita ſunt, ut ex iis flores Literarios magnô ſtudiô magnóqve deſideriô collegerit, anteqvam Vulcanus ea vorâſſet. Proh veſanæ mentis cœcitatem ! *Theſei* oculis iſti Libri , iſti characteres tanqvam fragrantiſſimi verni flores apparent , qvos ejus ætatis cordati viri ac Patres tanqvam atros infauſti Vulcani carbones horrebant , atq; totô pectore averſabantur. Vulcani pabula tanqvam florida , tanqvam virentia prata blandè intuetur *Theſeus*. O deplorandam temeritatem ! Ex iis Literarum floſculos legît, in qvibus noxia & magica delituerant animarum venena ſuccenſîs rogîs digna. *Angelum Raphaelem* iſtius ſcripturæ auctorem pronunciat , cujus inſtinctor extiterat angelus tenebrarum & conſarcinator homuncio aliqvis vaniſſimus ac ſuperſtitioni deditus. Illuſtri primi hominis nomine abuti haut erubeſcit ad incruſtandas obſcuras illas *Literas* , qvas monſtrum aliqvod hominis conſcribillârat. Eos characteres a filiis *Adæ* recuſari ac rejici haut poſſe diſertîs verbîs ſcribit , qvos nemo admiſit , qvi vera a falſis diſtingvere didicit, niſi unus & alter *Theſei* ſimius , Theſeanæ vanitatis captator , imò relegatorum ſcriptorum nimis temerarius approbator.

Hæc verò Scripta περίεργα [ut voce Spiritus S. deſumpta e cap. 19.

Act.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Act. v. 19. utamur] *Picatricis*, *Apponis*, *Salomonis*, *Apollonii Tyanæi*, *Razielis*, *Adami*, & conſimilia, magicô venenô infecta fuiſſe docet fatalis rogus, cui Patrum ſententiâ & fuerant adjudicata & injecta. Ne verò qvis putet ſibi verba dari, nósve in *Theſei* manes injurios eſſe: ecce non unius teſtimonium adducemus de horum Librorum & auctorum publica infamia, qvos tamen non infimi nominis viros extitiſſe judicii inops *Theſeus* literîs prodidit. Eqvidem a *Geſnero* in Bibliotheca *Picatrix* Hiſpanus inter ſcriptores Magicos numeratur. Itidem a Sixto Senenſi in ſancta Bibliotheca noxii Magici Libri ac ſuppoſitii fœtus *Salomonis* recenſentur, & damnatorum ſcriptorum ſubſelliis aſcribuntur. E. g. *Clavicula Salomonis*, qvem Librum olim *Sixtus* ſe vidiſſe ait circumferri a qvibuſdam impoſtoribus continentem genus Magiæ ſuperſtitioſæ, prodigioſæ ac maleficæ, nec non ejuſdem fictitium & noxium ſcriptum de Umbris Idearum, cujus meminit idem *Sixtus Senenſis*. *Apollonii* verò *Tyanæi* Magia ex *Philoſtrato* cognoſci poteſt, fruſtrà excuſante ipſum *Gabriele Naudæo* Medico Pariſienſi in Librô, in qvo pleroſq; ſuſpectos olim Magiæ viros purgare conatus eſt. Neq; nihili facienda eſt *Michaelis Majeri* defenſio, qvæ extat in Symbolis Aureæ Menſæ L. 3. pag. 127 qvâ nititur probare *Apollonium* ope chymicæ artis iſta miranda opera præſtitiſſe. Nam, ipſô *Majerô* teſte, ab Imperatore *Domitiano* Magiæ eſt accuſatus, & ab *Anaſtaſio* Theopolitano Epiſcopo proclamatus tanqvam ille, per qvem tot & talia Diaboli egerant. Sed ater an albus fuerit artifex, ex *Philoſtrato*, & *Petri Molinæi* Vate c. 15. p. 193. ed. & ex ejus Magicis facinoribus editis clarè demonſtrari poteſt.

Qvod ſi *Agrippa* de his auctoribus, eorum operibus ſententiam rogatus a qvopiam, animadvertet eum jam ſeniô confectum & majori qvàm dum juvenis erat, judiciô præditum velut fulminare in ejus farinæ ſcriptores ac ſcripta, cujus hæc extant verba in Libro de Vanitate Scientiarum & Artium cap. XLV: *Ex horum* [inqvit] *Goëticorum anagyri profluxerunt omnes tenebrarum Libri, qvos improbatæ lectionis* Ulpianus *JC. appellat, protinúsq; corrumpendos eſſe ſtatuit. Cujusmodi primus excogitâſſe dicitur Zabulus qvidam illicitis artibus deditus. Deinde Barnabas qvidam Cyprius. Et hodie adhuc confictis titulis circumferuntur ſub nominibus* Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Salomonis: *Item* Pauli, Honorii, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi, *&* Eboracenſis cujusdam, *qvorum nugas ſtultè ſeqvuti ſunt* Alphonſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſus Rex Caſtellæ, Robertus Anglicus, Bacon & Apponus, *& plerią; alii deplorati ingenii homines. Præterea non homines modò, & ſanctos, & Patriarchas, & angelos Dei tam exſecrabilium dogmatum fecerunt auctores, ſed & libros a* Raziele *&* Raphaele, Adami *&* Tobiæ Angelis *traditos oſtentant. Qvi Libri tamen acutiùs inſpicienti, ſuorum præceptorum Canonem, rituum conſvetudinem, verborum & characterum genus, exſtructionis ordinem, inſulſam phraſim, apertè ſeſe produnt, non niſi meras nugas ac impoſturas continere, ac poſterioribus temporibus ab omnis antiqvæ Magiæ ignaris, perditiſſimis perditionum artificibus eſſe conflatos, ex profanis qvibusdam obſervationibus noſtræ religionis ceremoniis permixtis, inſitisq; ignotis multis nominibus & ſignaculis, ut perterreant rudes ac ſimplices, & ſtupori ſint inſenſatis, & his qvi neſciunt bonas Literas.*

Hæc ille ſcripſit poſtqvam ſenuit & ſapuit, qvi dolet ſe juventutis ſuæ florem iis legendis turpiter impendiſſe, ac propterea ſuos Libros de *Occulta Philoſophia*, qvos juvenis ſcripſit, recantat. Qva de re ipſe ita ſcribit Librô de Vanitate Scientiarum cap. XLVIII: *De Magicis ſcripſi ego juvenis adhuc Libros tres, qvos de Occulta Philoſophia nuncupavi, in qvibus tunc qvidqvid per curioſam adoleſcentiā erratum eſt, nunc cautior hâc palinodiâ RECANTATUM VOLO. Permultū enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, qvod ſciam qvibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari.* Sic ſerò ſapiunt Phryges. Satiùs tamen eſt ſerò ac declivi ætate ſapere, qvàm ſemper deſipere, qvod *Theſeo* contigit, qvi ſenex velut repueraſcebat & inanibus qvibusdam Utopicorum characterum crepundiîs ſeſe oblectabat. Id qvod meritò miramur. Etenim ſi *Agrippa*, qvi horum vaniſſimorum Scriptorum & elementorum florente ætate velut intimus amaſius qvidam extiterat, jam ingraveſcente ætate uſq; adeo ab iis abhorreat, ut meliora doctus alios ſuô exemplô ſapere doceat, atq; ab iis tanqvam meris nugis & pernicioſis impoſturis ſedulò dehortetur: magnopere mirari licebit, qvid cauſæ ſit, cur *Theſeus* jam ſenex & ſeptuaginta fermè annos natus eò ſtultitiæ ac temeritatis progrediatur, ut iis monumentis, qvæ viſu fuerant indigna, velut floridîs pratîs graves ſeniô oculos paſcat, ex iis characterum flores decerpat ac in meliorem orbem diſſeminet, qvæ digna fuerant, qvæ perpetuus cinis & umbra tegeret.

Licèt verò ex his, qvæ modò dicta ſunt, manifeſtus evadat error *Theſei* & *Adamæi Alphabeti* vanitas clarè perſpiciatur: Tamen tolerabiliùs

Dure-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Duretô, æmulô ſuô, atq; harum *Literarum* reſtauratore erràſſe videtur. Nam *Duretus*, qvi integrô poſt ſæculô vixerat, in maxima Literarum luce, qvarum tantùm auroram eminùs aſpexerat *Theſeus*, ſciens voléńsq; cœcutivit, dehoneſtamenta *Literarum* oblivione jam pænè ſepulta denuò reſuſcitavit, ſemina characterum inutilium incautâ *Theſei* ſenis manu qvondam ſparſa & noſtrâ ætate ferè neglecta excoluit, atq; longe latéq; propagavit. In hos competit illud Hoſeæ cap. 8, 7: *Qvi ventum ſeminant, turbinem metent.* Hi enim characteres *Adamæi* mutuis manibus ſive ſati ſive exculti planè irriti ſunt, ac levis auræ ſimiles. imò haut aliter ſe habent atq; folles, qvos *Virgilius* vocat *ventoſos*. Follis explicatus ventos excipit, & non niſi reddit ventum complicatus. *Adamæus character* reciprocâ manu *Theſei & Dureti* acceptus & traditus, facile admittitur, ſed qvia levis eſt, facile qvoq; difflatur, & in auras, ex qvibus conflatus eſt, celer abit. Sed vidimus hactenus vaniſſimum *Theſei* ſtudium in publicandis *Adami Literis*: nunc *Dureti* novam molitionem ac laborem expendemus

QVÆST. V:

An Dureto novo Literarum Adamæarum reſtauratori tutò qvis fidere poſſit aut debeat?

INitiò qvidem novus hic obliteratæ *Literaturæ* reſtaurator ſeqvutus veſtigia *Theſei*, non modò *Patriarchæ Adami* auctoritate & nomine abutitur ad tutiùs fallendum ac ſpecioſiùs adulterandum characteres, ſed etiam e cœlo ſanctum *Raphaelem* in ſocietatem publicæ fraudis vocare haut erubeſcit, ut eò ſecuriùs credulo vulgo imponat, ſuſpectíſq; *Literis* certiorem fidem faciat. Sed contrà accidit. Etenim tantò ſplendidiora evadunt mendacia, qvantò majorem conſeqvuti ſunt ſplendorem illi, qvibus affinguntur. Qvamobrem, qvando *Duretus* angelum *Raphaelem* in claſſem literionum alphabetariorum detrudit, characterum formatorem & Librorum ſcriptorem fuiſſe fingit, nihil aliud agit, qvam judicii imbecillitatem, ingenii in re nihili & vanâ occupati temeritatem prodit.

Etenim ſi ſacra monumenta conſulamus, nullum prorſus in iis veſtigium

gium *Angelici Alphabeti*, nedum integri voluminis conſcripti ac manu *Raphaelis* traditi protoplaſto *Adamo* invenimus. Scripſiſſe qvidem & ſignâſſe *Angelos* haut inficiamur. Id enim ex ſcriptura *Danielis* & *Ezechielis* Tau liqvet, de qvibus Exercitat. aliâ: ſed integra *Alphabeta* & volumina exarâſſe, ea aliis tradidiſſe, nullibi in ſcripturis leges.

Secundò, ut vanitas & inconſtantia nugivendulorum ſcriptorum clariùs eluſceſcat: in ſcriptis aliorum Rabbinorum legimus, non à *Raphaele* Librum exhibitum fuiſſe *Adamo*; uti ex Libro, qvi dicitur Volumen ignis, cum *Theſeo* probare nititur *Duretus*, ſed ab ipſo *Raziele* præceptore *Adami* porrectum eſſe. Id qvod probat *Rabbi Iſrael filius R. Moſis* in Cabaliſticâ Diſputatione de Anima, pag. 5. e Libro *Zohar* Sect. 1. Gen. 1. *Cum*, inqvit Zohar, *verſaretur Adam in horto Eden, miſit illi Deus benedictus Librum per Razielem Angelum ſanctum, præfectum ſecretis ſuperiorum ſanctorum. In eo exarati erant characteres ſuperiores ſanctæ ſapientiæ*, &c. Porrò in Notis ſuis pag. 217. [itidem ex libro Zohar] *Voiſſinus* editor & interpres dictæ Cabaliſticæ Diſputationis pag. 217 tradit, *qvòd iſte Liber ſit ablatus Adamo jam expulſo e Paradiſo. Qvamobrem dolore confectus conjecit ſe in aqvas Gichon cervice tenus. Cùm verò jam totum corpus ejus ſqvallore obſitum eſſet, imperavit Deus, ut Liber ei redderetur, ne ſapientiâ & doctrinâ privarentur homines. Adam tradidit eum Seth filio ſuo, a qvo pervenit ad Enoch, ab Enocho ad Abraham, & ſic deinceps ad ſapientiſſimos cujuſqve generationis.* Hæc Zohar. Sed hæ fabulæ ſunt & figmenta Judæorum, qvi dum fingunt ac refingunt, non dies, non annus tantùm abit, ſed totum vitæ tempus. Id qvod rectè animaverterunt Cenſores Pariſienſes, qvi cenſuerunt ſtatim in limine hujus Rabbinici ſcripti editi Pariſiis 1635, narrationem hanc de Libro per *Razielem* ad *Adamum* delato, item de eodem *Adæ* ablato & reſtituto, nec non ad poſteros tranſlato, fabuloſam eſſe. Qvæ tantò eſt levior, qvantò priori *Theſei* aſſertioni magis contraria, qvæ id muneris aſſignat *Raphaeli*. Sed audiamus judicium *Ludovici S. Franciſci Luſitani Theol. D.* in Globo Canonum & Arcanorum Lingvæ S. Romæ edito 1586 pag. 773. lib. 10: *Qvo fit, ut meritò Rabbinorum qvorundam vana fabuloſitas irridenda ſit aſſerentium Angelum Adami Raziel appellatum, illi librum tradidiſſe continentem omnium rerum divinarum & naturalium arcana. Eos irridet R. P. Georgius Venetus Problem.* 22. *Lect.* 1.

Tertiò, non modò parùm ſibi conſtant *Duretus* ac *Theſeus*, dum ille pro-

probaturus has *Literas* eſſe *Adami* proprias, confugit ad privatam *Razielis* inſtitutionem, hic *Adamæas Literas Raphaeli* acceptas refert, verum etiam ipſe *Duretus* a ſeipſo abit. Nam ſi ipſo *Duretô* judice, *Raziel* fuit Adami præceptor, eumqve *Literas* docuit, non neceſſum fuit, ut *Adamus* ad novam Angeli ſcholam tranſiret, aliunde illud accerſeret, qvod domi habebat, adeoq; *Literas* à *Raphaele* diſceret, qvas privatus præceptor *Raziel* jam Adamum docuerat: niſi *Duretus* unius angeli operam haut ſuffecturam putet informando Adamo, cùm tamen unus homo plures diſcipulos feliciter inſtituat. Hoc clariùs elucet, ſi qvis Inſcriptionem *Adamitici Alphabeti* propoſiti a *Dureto* p. 117. conferre velit cum ejuſdem prabatione. Inſcriptio ita habet: *Characteres de l'Ange Raphael*, h. e. *Characteres Angeli Raphaelis*. Probatio verò urget, qvòd non *Raphael*, ſed *Raziel* fuerit Adami Præceptor. Qvod ſi igitur optaret *Duretus*, ut aliqvam vel veri ſpeciem indueret *Adamæum Alphabetum*, id operam daret, ut ſolidè probaret, eundem Angelum, qvi fuit privatus Adami præceptor, etiam *Literas Adamum* docuiſſe, & qvidem eas, qvarum typus ſuprà expreſſus eſt: non autem alium angelum *Adami* Præceptorem fuiſſe, alium verò ei *Literas*, qvas diximus, tradidiſſe: id qvod ad Græcas Calendas demùm expeditum dabit.

Qvartò, ut autem probet *Adamum* uſum eſſe *Raziele* privato præceptore, allegat Ebræorum Commentarios in Librum *Jezirah*, in qvibus traditur, qvòd *patrum præceptores fuerint noti Angeli*, ſc. *præceptor ipſius Adam Raziel*. Idem docet *Joan. Reuchlinus* Lib. de Arte Cabaliſt. pag. 622. edit. Hen. Petri fol. *Sic*, inqvit, *Cabaliſtæ in Commentariis circa Librum Jetzira ſcribunt*:

שהאבות רבותיהם היו מלאכים ידועים
רבי של אדם רציאל:

Hoc eſt, *Qvod patrum præceptores fuerunt angeli noti, videlicet præceptor ipſius Adami Raziel*. pag. 626. Ex iiſdem Rabbinis memorat *Abrahami* præceptorem extitiſſe *Zadkielem*, *Iſaaci Raphaelem*, & *Jacobi Pelielem*. Mirum itaqve aut novum cuiqvam accidere non debet, qvòd, teſte *Antonio Margaritâ* in Libro impreſſo Lipſiæ 1531, cujus titulus, Der gantz Jüdiſch Glaub / Judæi ſuum cuiqve homini certum angelum velut cuſtodem aſſignent; licet non angelum unicum ſed angelos caſtra metari circa pios, eoſq; in viis ſuis cuſtodire teſtetur *David* Pſ. 91, 11. Confer Matt. c. 4. v. 6.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Ceterum Rabbinorum Commentarii, qvibus plus juſto nonnunqvam tribuit *Reuchlinus*, cætera vir eximius, eatenus fidem merentur, qvatenus Scripturæ θεοπνευστία, fidei analogia & ipſa veritas permittit. Veras enim & utiles ſuas expoſitiones non raro aliîs vanîs nugîs infartis anilibus fabulis aſſutîs, ac commentitiîs narrationibus fœdè corrumpi ac deturpari teſtantur eorum Commentarii, teſtes locupletes fuerunt cordati veritatis revelatæ æſtimatores, *Lutherus* Tractatu, qvi inſcribitur: Von den Jüden und ihren Lügen / qvi integrô abhinc ſeculô, ſcil. anno 1543. Lipſiæ prodiit. Item in Libro de Schemhamphoras Judæorum. Ante eum *Purchetus* in ſua Victoria adverſus Judæos, cujus undecimum caput in Germanicum idioma transfert *Lutherus* in ſuo Schemhamphoras. Nec non *Antonius Margarita* in ſcripto ſuprâ citato: *Finus Adrianus* novem Libris, qvos Flagellum in Judæos inſcripſit, & edidit Venetiis 1538. *Forſterus* in Præfat. Lex. Ebraici, *Chriſtophorus Helvicus* Libris duobus Germanicis de Judæorum Hiſtoriis. *Chriſtianus Gerſon* in Refutatione Thalmudis Germanicè edita, *Schickardus* in Happeruſchim, *Ferdinandus Heſſen* in Flagello Judæorum, *Ludovicus* von Hör-nigk Librô, cui titulus: *Medicaſter Apella*; *Georgius Nigrinus* qvem inſcribit Jüden-Feind / aliiq; complures. Imò, qvi primô locô nominandus fuiſſet, Apoſtolus Gentium *Paulus* ſuum *Timotheum* & *Titum* seriò hortatur, ne attendant fabulis Judaicis & anilibus nugis Tit. 1, 14. 1 Tim. 1,4. & 1 Tim. 4,7. Nam qui tales fictas fabulas impudenter diſſeminant, Apoſtolo teſte, ſunt ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται, vaniloqvi & mentium ſeductores Tit. 1,10. Servatore judice Mendaces Joh. 8,55. Stulti ac cœci duces. Matth. 23. 19,24. Qvod ſi igitur *Duretus* voluiſſet conciliare autoritatem ſuis *Adamæis* Literis: opus ei fuiſſet indubitatæ fidei teſtibus, niſi conſultò decreverit causâ cadere, cujus ſuæ cauſæ teſtimonia infirma ac fundamenta ruinoſa eſſe facilè antea videre poterat, ſi non prorſus oculîs ſanus merô meridie cœcutiret.

Qvintò & *ultimò*, patrum autoritatem qvod ſpectat, qvâ utitur *Duretus* ad inducendum aliqvem colorem *Literis Adamæis*, eâ non tam illuſtrantur, qvàm penitus obſcurantur. Nam veluti *Epiphanius* in Lib. 1. Panarii prorſus rejicit *Adæ revelationem*, tanqvam Librum à Gnoſticis Hæreticis publicô dolô confictum: pari ratione *Auguſtinus* in Fauſtum Manichæum ſtringens calamum diſertîs verbîs teſtatur *Librum, de Genealogia*

Adami

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Adami aManichæis falsò aſcriptum fuiſſe protoplaſto tanqvam auctori. Qvare juſtò titulò à *Gelaſio* diſtinct. 15. inter Libros damnatos numeratur. Conſimili auſu Alchimiæ patroni,ut ſplendidiùs mentiri poſſent, & ſuæ artis antiqvitatem craſſiore mendaciò palliarent, Chryſopopœiæ Librum qvendam præclarò *Adami* titulò inſignem fatuo vulgo obtruſerunt, ut autor eſt *Antonius Delrius* Diſput.Mag.l.1.Qvæſt.1.cap.5. p.108. edit. Mogunt. 1600. Eandem vanitatem ſpirant citatæ à *Dureto Evæ Prophetiæ* operâ *Raphaelis* conſcriptæ ex Libro Behu; Item Liber *Abelis* de Virtutibus Planetarum delatus ad *Mercurium* & tandem ad *S. Thomam*, cujus ipſe *Thomas* meminit Libro de Ente & Eſſentia, *Boiſſardus* de Divinat. in Mercurio Triſmegiſto, nec non *Majerus* in Symbolis Lib.1. p.10. Hæc & ſimilia otioſorum hominum figmenta ac ſomnia, tantùm abeſt, ut ab ullo, cui vel unciola rationis ſuppetit, cenſeri poſſint aut debeant veritatis ſolida fundamenta & firma *Adamææ Literaturæ* fulcra, ut potiùs manifeſta ſint argumenta meræ vanitatis, audacis temeritatis, nec non fraudum ac impoſturarum oculis omnium rectè judicantium obviarum.

Hactenus *Adamæarum literarum* fundamenta excuſſimus, earum promos ac patronos coram ipſo veritatis tribunali cauſam dicentes audivimus & examinavimus, tandemq; tales eas eſſe deprehendimus,ut omninò indignæ fuerint, qvas unqvam *Anglica* nomina illuſtrarent, *Adami* titulus celebraret, *Theſei* manus ex ultricibus flammis eriperet ac vindicaret, *Duretus* interpolaret, *Hepburnus* in ſplendidum ſuorum Characterum theatrum transferret, aut ullum locum aut ſedem inter veras Literas invenirent. Qvamobrem in poſterum, imò in perpetuum eas relegamus, atqve cum infamia ejiciamus e civitate Literaria, cui falſò tirulò fuerant aſcriptæ. Nunc ulteriùs ad *Literas filiorum Sethi*, ut Rocchæ loqvi placet, luſtrandas & examinandas progredimur, & qværimus,

QVÆST. VI:

An Literæ Sethianis poſteris aſcriptæ ſint ſinceræ ac genuinæ?

INqviſituri in ſinceritatem Alphabeti aſſignati poſteritati Sethianæ, unius tantùm hoſtis adverſariam nobis paratam prævidemus. Solus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Angelus Roccha nobis adverſatur, qvia is ſolus *Alphabetum filiorum Seth* defendendum ſuſcepit. Ut igitur pes pedi figatur, & ſine ambage in rem præſentem veniatur: *initiò* & ante omnia *Rocchæ* probandum incumbit, qvòd *Literæ* ſupra delineatæ ad vivum exprimant figuras characterum *filiis Sethi* uſitatorum, & qvòd ipſiſſimæ & propriiſſimæ Literæ ſint, qvibus illi qvondam uſi fuerant. Id qvod non niſi ad Calendas Græcas probatum dabit *Roccha*. Neq; enim addita a *Roccha* probatio ad id demonſtrandum ſatis idonea aut ſufficiens eſt. Nam qvòd ex *Joſepho* geminas columnas teſtes producat: illæ non id evincunt, qvod debebant, & qvod ſuô qvodam jure reqvirit cardo Qvæſtionis. Tantùm teſtantur aliqvid ſcriptum, vel potius ſculptum eſſe a poſteris Sethi ante diluvium: non autem ob oculos clarè ponunt ipſam ſculpturam, ipſos ſculpturæ ductus, nec ipſum characterum genus ſigillatim exprimunt. Nam licèt lapidea columna Literis cælata tempore Joſephi extiterit in Syria: tamen hâc ætate nemo fuit, qvi eam aut vidit aut characteres inſpexit. Neq; ipſe *Joſephus*, qvænam & qvales illis columnis inſcriptæ qvondam fuerint Literæ, uſpiam oſtendit aut indigitavit. Qvare ex incertis Literarum obliteratarum figuris certam elementorum ſpeciem condere ac conſtituere velle nimis temerarium fuerit. Haut itaq; injuriâ miramur, qvòd *Roccha* expreſsè auſit ſcribere, qvòd eo *Alphabeto*, qvod ipſe affert, & nos ex eo expreſſimus, uſi ſint *filii Seth* p. 82,

Secundò, ipſe *Roccha* valde ſuſpectam reddit ſinceritatem ac auctoritatem dicti *Alphabeti*, qvando eaſdem planè, qvas Sethi filiis obtrudit, Literas tribuit Moſi p. 88. hanc iis ſuperimponens inſcriptionem: *Moſes antiqvas & Hebraicas Literas invenit.* Rurſus eaſdem, & nullô prorſus apice mutatas aſcribit *Adamo* tanqvam primo inventori, uti ſuprà oſtenſum eſt. Nemini enim ignotum eſſe poterit, qvantæ varietati ac viciſſitudini *Literæ* ſint ſubjectæ. Tanta nonnunqvam ductuum in formandis *Literis* mutatio accidit, ut unius ejuſdem ſæculi gens ſuas *Literas* difficulter & legat & noſcat, imò illarum vera Lectio ipſis etiam *Literarum* catis antiqvariis crucem figat. Si itaq; unius ſeculi & populi characteribus tanta varietas accidere poterit, qvid de multorum ſeculorum *Literis* judicandum erit? num illæ ſolæ intactæ manebunt contra luxuriantem pingendi licentiam & injuriam temporis? qvod res mutat ac conſumit, teſte *Ovid.* 15. Metam.

Tempus


Tempus edax rerum, tuq́ invidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataq́ dentibus edi
Paulatim lentâ conſumitis omnia morte.

In eandem qvoq; ſententiam cecinit Lyricorum Poëtatum Princeps *Horat.* l. 3. od. 6.

Damnoſa qvid non imminuit dies?

Eqvidem *Adami* tempora & *Moſis* ætas, qvæ in Legis promulgationem ac ſcriptionem incidit, intervallô annorum 2460. præterpropter diſtingvuntur. Eoſdem igitur & invariatos *Literarum* ductus tot annorum ſpaciô manſiſſe, ad varios & multiplices poſteros propagatos fuiſſe, ipſi experientiæ planè adverſatur. Longè aliter ſcripſerunt ſuperiore ævô noſtri majores, qvàm hodiernus Daniæ populus. Exemplorum affatim in monumentis, antiqvis inſcriptionibus ac manuſcriptis, qvæ evidentia ſunt argumenta mutati characteris noſtratis; qvorum etiam magna copia in aliarum gentium *Literis* viſitur. Qvando itaq; *Roccha* eundem & planè invariatum characterem tribuit *filiis Seth*, qvem *Moſi* atq; *Adamo* aſcribit, dubiæ fidei Literas non tam certas reddit, qvàm incertas ac magis ſuſpectas.

Tertiò, ut autem conſtet, qvænam noſtra mens ſit & ſententia de *Literis*, qvas Roccha nunc *Adamo*, nunc *filiis Seth*, nunc *Moſi* aſſignat, illas certè judicamus maximam partem *Samaritarum* proprias eſſe. Id qvod clarè ad oculum patebit conferenti hodiernas *Samaritanorum Literas* cum characteribus *poſterorum Sethi*, qvos ſupra expreſſimus. Verùm ut illa σύγκρισις commodè inſtituatur: ecce tibi, Lector Candide, ob oculos ponimus characteres hodiernos *Samariticos*, ſeqvuti iſtum typum, qvem *Joannes Morinus* Exercitat. V. in Samaritanorum Pentateucho excudendum curavit p. 372. hôc modô:



Has autem *Literas* non eſſe antiqvas *Moſis*, divinæ Legis, ac Prophetarum ſacros characteres, nedum antiqviſſimas *Adami* ac *poſterorum Sethi*, ſed partim novas, partim novatas, alibi, Deo volente ac benedicente, fuſiùs dicetur. Qvare heic manum de Tabula.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Qvartò, nullô jure ut juſto titulô alteram columnarum erectam a *poſteris Sethi æneam*, vel ſpeciatim *marmoream* appellat Roccha. Nam *Joſephus* citatô locô in textu Græco aſſerit alteram columnam ἐκ πλίνθου, *latere*, alteram verò ἐκ λίθων, *lapidibus* ſtructam eſſe. Qvòd ſi verò *ænea* vel *mormorea* fuiſſet, ut cenſet Roccha, neutiqvam id tacuiſſet *Joſephus*, neutiqvam appellâſſet alteram πλινθήνην, alteram λιθήνην, ſed ſcripſiſſet ἐκ χαλκοῦ alteram, ἐκ μαρμάρου verò alteram fuiſſe fabricatam. Qvare heic etiam fidem Rocchæ reqvirimus. Si illa ceſpitet in via obviâ, in re tam manifeſta, qvale robur, qvalem conſtantiam in dubia & ardua habitura erit? Prorſus tunc langveſcet & ſuccumbet, qvando proprium ac certum characterum genus admetiri conatur *poſteris Sethi*. Ita malumus eos vocare, qvàm *filios*, ex hypotheſi Rocchæ. Nam in Græco *Joſephi* textu appellantur ἀπογόνοι, oriundi, poſteri. Per ἀπογόνους autem intelligit non tantùm *Enoſchum*, & reliqvos filios, qvorum genitor extitit *Seth*, ſed etiam *nepotes, abnepotes, unô verbô, poſteros*, e. g. *Kenaan, Mahalalelum, Chanochum, Jaredum, Metuſchelacum*, Lamechum, *Noachum*. Qvinam verò eorum vel mutuas operas tradiderint, vel laboraverint ſinguli in erigendis duabus illis columnis, ſigillatim & nominatim non exprimit *Joſephus*. Ex his modò allatis momentis liqvere ſperamus, fundamenta, qvibus Roccha *Alphabetum Sethianorum poſterorum* ſtatuminare conatur, infirmiora eſſe, qvàm ut novam iſtam & inuſitatam molem ſuſtineant. Ceterùm *Figuras* harum *Literarum* qvod ſpectat, memini me legiſſe, qvòd nonnulli opinentur fuiſſe Charagmata *Hieroglyphica*, alii, ut noſter olim *Longomontanus*, ad Aſtrologorum aſteriſmos referant. Qvæ tamen opiniones τῇ ἀσφαλείᾳ deſtitutæ adblandiuntur primâ fronte, ſed propiùs inſpectæ facilè collabaſcunt. Nunc porrò pari ſtudiô *Henochæi Alphabeti* robur periclitabimur, & diſqviremus,

QVÆST. VII:

An Henochæum Alphabetum â Pantheo propoſitum fidem & aſſenſum mereatur?

PRimò, ipſe Pantheus, qvi *Henochi* characteres publicavit, tantùm figuras *Alphabeti Henochæi* proponit, eaſq; *Henocho* à Deo conceſſas aſſerit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

p. 14. editionis Venetanæ 1530.; nulla verò ſuæ aſſertionis fundamenta ponit. Qvare eâdem facilitate à veritatis ſtudioſo rejici poterit, qvâ ab ipſo receptum eſt.

Secundò, Pantheo laboranti, inermi prorſus & ab argumentis veris, qvibus *Henochæum* aſtruat *Alphabetum*, deſtituto ſuppetias laturus *Duretus*, ex media Æthiopia non niſi unicum affert præſidium, idq; ficulneum ac parùm idoneum ad defendendum affictitium hoc Alphabetum. Narrat Librum ab *Henocho* ſcriptum extare in Æthiopia, & qvidem Canonicum & magnæ autoritatis. Sed qvâ qvæſo autoritate *Duretus* id, qvod tam audacter pronunciare auſit de hujus *Libri Henochæi* canone, probat? Qvô veritatis hiſtoricæ documentô hanc ſuam ſententiam confirmat? Nullô prorſus. Nam ea qvæ attexit pag. 127. in Hiſtoria Lingvarum planè aliena ſunt ab hoc ſcopo. Qvòd ſi verè *Canonicus* ſit, cur inter *Canonicos* V. T. Libros locum non invenit? Cur Judæi ſacrorum voluminum cuſtodes, qvibus concredita erant λόγια τοῦ θεοῦ Rom. 3, 2. hujus diviniſſimi *Patriarchæ Henochi* ſcriptum neglexerunt, & è Canone & claſſe ſacrorum monumentorum excluſerunt? Cur Euſebius [ut alios mittam] l. 4. Eccl. Hiſt. c. 26. ex Melitone, & l. 6. c. 25. ex Origene recenſens Libros *Canonicos* Teſtamenti Veteris *Henochæum* ſcriptum prorſus præteriit? Eat igitur *Duretus* & priùs probet ſcriptum *Henochæum* eſſe Canonicum, qvàm nobis illud obtrudat tanqvam Canonem *Utopici Alphabeti*. Sed de Libro *Henochi* fuſiùs egimus Exercit. I. qvò remittimus Lectores.

Tertiò, *Panthei* & *Dureti* ſententiæ nuncium remittit *Hepburnus*, atqve in ſua Tabula non eos, qvos illi exhibent, *Henochi* characteres exprimit, ſed hodiernos *Henochi* characteres & eos *Henocho* aſcribit. Illos verò pulchrè & nitidè in æs incidendos curavit, atqve medios punctulis inſtar rhomborum elegantiuſculè ſecuit. Qvamvis verò ipſiſſimos hos characteres, qvos exhibet *Hepburnus* planè invariatos atqve immutatos proprios fuiſſe *Henochi*, nemo niſi temerarius fuerit, certò definiverit: tamen, ſi non attendatur eadem prorſus *Literarum* primigeniarum facies & figura, atq; idem planè καλλιγραφίας modulus hodiernô ſeculô exprimi ſolitus, aut ab *Hepburno* ſcitè excuſus, ſed tantùm aliqvali hodiernarum Ebraicarum Literarum ſimilitudine cum primis characteribus, qvib⁹ *Adam* cum poſteris uſum fuiſſe perhibent, tunc magis veritati conſentanea exiſtimari poterit ſententia *Hepburni* aſcribentis *Henocho*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

nocho vulgaria elementa Ebraica, qvàm *Panthei* Voarchdumicos qvoſdam & Chymicos characteres divino viro affingentis ſine ratione & prævia autoritate. *Si ſcripſit Enoch*, inqvit *Vicelius* in Encomio Ebraicæ Ling. Lipſiæ 1538. edito, *hîs profectò Literis ſcripſit, qvas poſtea ab Heber filio Sem Hebræas appellavere.* Eant igitur hæc characterum Henochæorum commenta in Utopiam, ibiq; exſulent, nec inde redeant ad antiqvas verarum Literarum ſedes ac loca, donec alios & majori autoritate præditos patronos ac firmioris fidei teſtes ſibi aſciverint, qvàm hactenus fuere *Pantheus* ac *Duretus.* Jam ulteriùs obiter & velut emiſſitiô oculô luſtrabimus *Noachici Alphabeti* fundamenta, & coronidis locô explorabimus,

QVÆST. VIII:

Num Literæ Noachi firmô nitantur fundamento?

PRimò, & qvidem breviter reſpondemus: Prorſus infirmô. Nam non æneîs aut immotîs columnîs, ſed ſolius *Hepburni* chartaceâ Tabulâ nituntur. Hæc autem veluti tenui ac ſubtili materiâ contexta eſt: pari ratione res, qvas complectitur, & characteres, qvos exhibet, leviores multò ac debiliores ſunt, qvàm ut validius veritatis pondus ſuſtineant. Tam firma igitur ſunt fundamenta hujus *Alphabeti*, qvàm firmâ ac conſtanti fide præditus eſt is, qvi illud pomposè magis exſtruxit, qvàm ſolidè aſtruxit. Qvòd ſi verò *Hepburnææ* fidei & autoritatis imbecillitatem geſtias intueri: redeas qvæſumus poſtliminiò ad QVÆSTIONEM II: mox evidenter cognoſces, qvàm *leviſidus* ſit is, ut Plautina voce utamur, qvi hujus *Alphabeti Noachici* velut invictus Atlas, & qvidam Jupiter Stator cluit. Cùm itaq; ejus vacillet autoritas, teſtimonium ſit ſuſpectum, & fides langveat, cujus humeris dicti *Alphabeti* moles incumbit: haut dubitare licet, qvin illud vel levi digitô tactum mox imîs ruat fundamentîs & abeat in fumos, qvibus conſtabat.


Secundò, magnopere mirari ſubit, qvô auſu *Hepburnus* hoc *Alphabetum* in ſuam Tabulam tranſtulerit atqve pro *Noachico* venditârit, qvod tamen *Theſeus Hetruſcum* eſſe pronunciat, atq; a dextro in ſiniſtrum ſcribi ac legi ait. Qvamvis verò *Theſei* fides in condendis ac confingendis Literis antediluvianis parùm tuta ſit ac firma: tamen nonnullîs aliîs momentîs

mentîs moti magis propendemus in ejus ſententiam,qvàm in Hepburni partes. Nam ut in *Theſei* ſententiam promptiores deſcendamus, *primò* efficit ipſa *Literarum Hetruſcarum* figura,qvæ eò nos manuducit. Etenim ſi *qvartam* hujus Alphab. literam inſpexeris, reſpondet Latino R, *qvinta* E inuerſo, *decima* I, *duodecima* M, *decima tertia* N, *decima qvarta* O, *decima qvinta* H, *decima nona* V, *vigeſima* X, *antepenultima* Z, *penultima* Y. Cùm itaq; *Hetruſcarum Literarum* externa facies hìc appareat, neminem fore arbitramur, qvi non potiùs Italiæ priſcæ genti, ſcilicet *Hetruſcis*, eas malit aſcribere, qvàm *Noacho*.

Tertiò, *Theſeus* non ſuâ ſolius autoritate id confirmat, ſed duorum eximiorum Italorum teſtimoniô, nimirum *Julij Canobini* & *Joan. Achillini*: qvi omnes qvia Itali de illa re, qvæ eſt in Italia, meliùs nôrunt judicare & certiùs teſtari, qvàm Scotus exterus, qvi de re planè incognita & incerta certum judicium ferre præſumit.

Qvartò, ſi inſpexerimus ſtatuam, in qvam inciſæ ſunt *Literæ Etruſcæ*, & cujus inſcriptionem videndam proponit *Raphael Volaterranus* Comment. Urbanorum l. 33: non paucæ earum his Hetruſcis characteribus, qvos *Hepburnus* Noachicos vocat, reſpondent. Idem eſto judicium de *Hetruſcis Literis*, qvas ex æneis Tabulis Eugubii repertis *Gruterus* in illuſtre Inſcriptionum Romanarum opus, & *Merula* in Coſmographiam transferendas curârunt. Harum certè inſpectio & collatio cum his *Theſeanis*, nos erga *Theſeum* propenſiores reddit, qvàm *Hepburnum*. Ut autem iſta comparatio commodè inſtituatur, collectum ex æneis Tabulis Eugubinis, qvæ induſtriæ *Johannis Metelli Burgundi* debentur, tale exhibemus

Alphabetum Hetruſcum.



Intercidit nunc antiqva ſcribendi ratio *Hetruſcis* uſitata cū celebri Hetruſcorum diſciplina, qvam *Cicero*, *Macrobius*, *Cenſorinus* & alii commendant. *Bene*, inqvit *Cicero* de Divinatione, *apud majores noſtros Senatus decrevit, qvando florebat imperium, ut de principum filiis ſex, ſingulis Hetruriæ populis in*

diſciplinam traderentur, ne tanta ars propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem & qvæſtum. Hæc ille. *Polydorus* lib. 1 de Invent. Rerum c. 6 citans Livii l. 9 hæc habet: *Qvapropter*, inqvit Livius, *Romanos deinde pueros non modò Græcis ſed Hetruſcis Literis qvoqve erudiri ſolitos. Ex qvo ſcire licet, Hetruſcos etiam ſuas olim habuiſſe Literas, qvas ut noſtra deniqve cetera omnia, ita tempus conſumpſit, ut nunc ne nota qvidem illarum cognita extet. Has autem Literas Cornelius Tacitus Lib. Aug. Hiſt.* 11 *autor eſt, Demaratum Corinthium Hetruſcos primùm docuiſſe.* Sed ut de his fuſiùs agamus, noſtri inſtituti ratio haut permittit: tantùm monemus, Anno 1613 a *Bernardino Baldo Italo* Eugubinæ Tabulæ Hetruſcam Inſcriptionem expoſitam eſſe, vel potiùs ejus conjecturam relictam, editam Auguſtæ Vendelicorum, eandémq; ab *Adriano Schriechio* Indice 3 ad Libros Originum mirè transformatam, imò ad expiationem fulminis exprimendam detortam ex indole Lingvæ Teutonicæ, qvam cum *Hetruſca* ineptè confundit. Porrò, de *Literis Hetruſcis* confer Ἱστορούμενα Lingvæ Punicæ a viro doctiſſimo *Thoma Reiveſio* D. magnâ dexteritate & cum ingenii ac raræ eruditionis laude conſcripta, atqve edita Altenburgi 1637. Interea eat *Hepburnus*, & avitis poſſeſſoribus *Hetruſcis* ſuas Literas reſtituat; qvod ubi fecerit, mox fundamentum *Noachici Alphabeti* ſuapte vanitate collabaſcet.

Qvintò, Chamum patri *Noacho* Librum de Magia Naturali in arca ſurripuiſſe, pro meris Rabbinorum nugis meritò habet *Delrius* ſuprà citatô locô. Neqve moramur monſtroſos abortus Librorum, qvos vana ingenia olim parturierunt. Cujuſmodi a fanaticis impoſtoribus circumferebantur, *Liber Razielis, Adæ revelatio, Evæ prophetiæ, Abelis ſcriptum, Sethi Libri ſeptem, Noachi volumen Æthiopicum, Scriptura Chami, Patriarcharum duodecim Teſtamentum, Abrahami Apocalypſis, Jacobi Teſtamentum, Vita Moſis*, qvam edidit & notîs illuſtravit *Gaulminus, Bileami & Salomonis* ſcripta, & ſimilia, qvæ *Poſſevinus & Sixtus Senenſis* in Bibliothecis ſuis recenſent & rejicula judicant, qvorum Patres in ſuis Scriptis paſſim meminerunt. Eqvidem qvando horum monumenta conſuluerimus, mox exploratiùs nobis innoteſcet, qvòd Hæreſεωn ſatores & propagatores varios a mendaci Spiritu dictatos Libros conſcribillârint, qvibus clariſſimam veritatis cœleſtis lucē tam Novi qvàm V. Teſtamenti tempore obſcurare ſummâ arte & aſtu moliebatur mundanus tenebrarū induperator Eph. 6. v. 12.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Qvô factum eſt, ut *Gelaſius Cyzicenus* in Act. Concil. Nicæni Tom. I. Concil. Reſponſ. Patrum per Protogenem, Epiſcopum Sardicenſem, cap. XX, his verbis fictitii cujuſdam Libri divinó Moſi falsò aſcripti mentionem fecerit: Ἐν βίβλῳ δὲ ἀναλήψεως Μωσέως, Μιχαὴλ ὁ Ἀρχάγγελος διαλεγόμενος τῷ διαβόλῳ λέγει. ἀπὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθε τὸ πνεῦμα αὐτοῦ &c. *In libro autem* Revelationis Moſis, *Michael Archangelus differens cum diabolo inqvit: a Spiritu Sancto ipſo omnes conditi ſumus.*

Eodem modô Sanctus *Epiphanius* Salaminis in Cypro Epiſcopus Lib. I, Tom. 2 adverſus Hæreſin VI vel XXVI varia otioſorum ingeniorum deliria ad obſcurandum Evangelicæ veritatis lumen ſub initium Eccleſiæ excogitata, in medium paſſim producit. Hujus farinæ eſt *Evangelium Philippi*, qvo de pag. 95 num. 13 edit. Pariſ. 1622 ſic ſcribit: Προσφέρουσι δὲ (de *Gnoſticis* loqvitur, qvi Auguſtino fabulones appellantur, & qvia arcanas qvaſdam nugas & exſecranda qvædam figmenta, velut Myſteria tradebant, Γνωστικοί ab exqviſita illa rerum profundiſſimarum notitia dici voluerunt) εἰς ὄνομα Φιλίππου τοῦ ἁγίου μαθητοῦ Εὐαγγέλιον πεπλασμένον, ὅτι φησίν, ἀπεκάλυψέ μοι ὁ Κύριος, τί τὴν ψυχὴν δεῖ λέγειν ἐν τῷ ἀνιέναι εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ πῶς ἑκάστῃ τῶν ἄνω δυνάμεων ἀποκρίνεσθαι: *Præterea* Evangelium *qvoddam ſub* Philippi *ſancti Chriſti diſcipuli nomine circumferunt, in qvo iſta narrantur: Mihi Dominus aperuit, qvibus anima verbis uti, cùm in cœlum aſcendit, ac qvemadmodum unicuiqve cœleſtium Virtutum reſpondere debeat.* Sic ibidem pag. 84: *Alii*, inqvit, Evangelium Evæ *ſine ullo pudore jactitant. Sub hujus enim nomine, utpote qvæ cognitionis nomen a ſerpente, qvo cum colloqvuta eſt, didicerit, perfidiæ ſuæ ſemina ſparſerunt.* His accedunt illa, qvæ ibidem adverſus eandem Hæreſin pag. 89 hac verborum formâ enumerat: Καὶ τὰ μὲν βιβλία αὐτῶν (Γνωστικῶν) πολλά. Ἐρωτήσεις γάρ τινας Μαρίας ἐκτίθενται, ἄλλοι δὲ εἰς τὸν προειρημένον Ιαλδαβαὼθ, εἰς ὄνομα δὲ τοῦ Σὴθ πολλὰ βιβλία ὑποτίθενται. ἀποκαλύψεις δὲ τοῦ Ἀδὰμ ἄλλας λέγουσιν, Εὐαγγέλια δὲ ἕτερα εἰς ὄνομα τῶν Μαθητῶν συγγράψασθαι τετολμήκασιν: *

Ceterùm Libri penes illos (Gnoſticos) qvamplurimi ſunt: nam *Interrogationes qvasdam Mariæ* venditant. Alii de eo, qvem diximus, *Ialdabaoth* ſub *Sethi* nomine complures Libros ſuppoſititios obtrudunt. Sed & *Adami* revelationes alias & alia item EVANGELIA falſa Diſcipulorum nomine conſcribere ſunt auſi. Verùm, ut alia prætere am, qvæ de *Mariæ commentitiis Interrogationibus*, majoribus & minoribus, blaſphemiâ & ſpur-

ſpurcitie qvavis pleniſſimis ibidem affert Epiphanius: hoc de *Ialdabaoth* monendum eſſe duxi, qvòd inter ἄρχοντας, Principes, ſeu Poteſtates Angelicas, qvarum nomina CCCLXV ibid. p. 91 num. 10 recenſentur, numeretur, ſextumq; inter ipſos Principes locum obtineat, primum v. *Jao.*

Sed talia Librorum figmenta qvàm ſimillima ſunt iis, qvæ Judaicæ gentis Magiſtri plusqvam fabuloſi effutiunt. Id qvod vel ex unica Epiſtola R. Ben Maiemon Aſtrologiæ judiciariæ oppoſita clarè patet. Veluti enim illa tradit e Coſdroa civitates & ædificia fuiſſe ante *centies mille annos* apud Indos; ita Libros a qvibuſdam Aſtrologorum conſcriptos fuiſſe periodum 10000 annorum continentes ibidem memoratur. Imò homines ante Adamum fuiſſe nominatim exprimit his verbîs: או כמו ספרי העבודה הנבטית שזוכרים שם שמות ינבושאר וצגרית ורואני ואמרו״ כי הם קודם אדם ושנכושר היה רבו של אדם הראשון והדומה לזה: כוזרי במאם א״: *Velut ſunt* inqvit, *Libri Officii Henbadith, qvi mentionem faciunt nonnullorum nominum Ianboſar, Tzareth, Roani, eosq; ajunt fuiſſe ante Adam, & Somboſcher fuiſſe præceptorem ipſius Adami* & his ſimilia, Coſdroa ſermone primo. Ex qvibus manifeſtum evadit, vaniſſimæ iſtius opinionis de hominibus ante Adamum primum non fuiſſe auctorem *Iſaacum Peyrerium Gallum.* Longè enim antiqviores agnoſcit natales, uti nunc monſtratum eſt. Locum Paulinum Rom. 5, 12, qvod ſpectat, cui inædificat *Peyrerius* univerſam arachnææ ſtructuræ molem: placet in primis magni Theologi *Gerhardi* Exegeſis in eundem locum pag. 169 Edit. Jenenſ. 1654: Ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, inqvit. *Pleriqve ex veteribus exponunt*, in qvo, ſcilicet *Adamo omnes peccaverunt, qvia ſcilicet omnès erant in ejus lumbis, ſicut Levi dicitur decimatus in Abrahamo, in cujus lumbis erat* Hebr. 7. v. 9: *ac ſicut in Adamo omnes dicuntur mortui*, i. e. *morti obnoxii facti* 1. Cor. 15. v. 22. *Peccârunt ergo omnes in Adamo, ut in communi ſtirpe, unde omnes tanqvam rami procedunt.*

Sed qvia ἐπὶ pro ἐν *eô ſenſu vix reperietur uſurpatum, ac qvia hæc ſententia pendet a proximè præcedentibus, in quibus nulla fit Adami mentio, (referre enim Pronomen relativum ad nomen unius hominis, cujus in principio verſiculi fit mentio, nimis durum videtur) ideo ſimplicius eſt, cauſaliter exponere*, eò qvòd omnes peccaverunt; *cujus ſignificationis exempla extant* Rom. 8, v. 3, ἐν ᾧ i. e. ἐφ᾽ ᾧ, eò qvòd *infirmabatur per carnem* 2 Cor. 5, v. 4, ἐφ᾽ ᾧ οὐ θέλομεν, propterea

pterea *non cupimus exui.* *Syrus itidem reddidit* בְּהָי, eò qvòd, LUTH. dieweil. *Subintelligendum tamen circa verbum* ἥμαρτον, *qvòd in Adamo omnes peccaverint,* i. e. *qvòd ex Adamo omnes trahant peccatum, videlicet per carnalem generationem. Qvod enim hôc locô dicit* omnes *peccaſſe,* id *v.* 19 *poſtea exponit,* peccatores conſtitutos eſſe. *Eſt enim Hebrææ lingvæ idiotiſmus, verbô actionis habitum* exprimere. Hæc ille.

His adde locum Matth. 26, 50: *Jeſus a. dixit illi, amice,* ἐφ' ᾧ πάρει, *cur ades?* Rom. 6, 21: *qvem igitur fructum habebatis,* ob qvæ, (ἐφ' οἷς) *nunc confundimini.* Hôc locô ἐπὶ cauſam impellentem notat, non ſecùs ac Hebræi particulâ ב ſubinde uti ſolent. Gen. 6. v. 3: *Non judicabit Spiritus meus in homine perpetuum* בְּשַׁגַּם, propterea qvod ipſe *caro.* Onkel. ד. בְּדִיל. Et Jonathan מִן בְּגְלַל. LXX διὰ τὸ εἶναι, propterea qvod *ſunt caro,* qvæ non percipit ea, qvæ ſunt ſpiritus Dei. 1 Cor. 2. v. 11, 14. Sic Gen. 18, v. 28: *Num perdes omnem civitatem* בַּחֲמִשָּׁה propter *qvinqve,* propter *paucos qvoſdam.* Nam v. 26 & 29. hoc ב explicatur per בַּעֲבוּר. Chaldæus habet בְּדִיל. LXX ἕνεκεν.

Eandem expoſitionem confirmant Interpretes. *Antonius Bruciolus* Tuſcanicæ Verſionis auctor, in qvanto *che tutti peccorno.* *Selneccerus* & *Balduinus,* qvia *in Adamo omnes peccârunt.* *Hunnius,* eò qvod *omnes homines peccaverunt.* Andreas Oſiander, qvandoqvidẽ *omnes peccaverunt.* Svetica Biblia, Efter de alle Syndat hafva. Danica, efterdi at de Syndede alle. Reſeniana, i det de Syndede alle. *Gall.* d'autant que, *D. Wellerus, Arabs* & *Dieu,* qvia.

Nec eſt, qvòd qvis hìc ſibi timeat a Socinianiſmo. Nam cauſalis hæc expoſitio peccatum originis etiam confirmat. Cur enim mors in omnes homines pertranſiit, niſi qvia omnes peccarunt? Atqvi peccatum actuale, qvod eſt vel malum cogitatum, vel dictum vel factum, in infantulos non cadit teſte *Winck.* qvi tamen moriuntur. Ergò oportet eſſe aliud peccatũ, ob qvod etiam infantuli recèns ex utero materno prognati morti ſunt obnoxii. Imò, ſi ideo erroris accuſanda foret hæc interpretatio, qvia Socinianorum N. Teſtam. Germanicum in margine illam probat, uti & Socinus & Volkelius: procul dubiô ab errore immunis non foret eorum interpretũ ſententia, qvi vertunt *in qvo,* qvia hanc Beza & *Peyrerius* tuentur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

tur. Unâ ſæpe Verſione plures diverſarum religionum interpretes uti non eſt inſolitum, etiam ſalvô veritatis robore.

Sed verò, cùm portentoſum hoc inventum ab aliis dudum ſit jugulatum, ejusqve deteſtanda fœditas demonſtrata, & noſtrum inſtitutum non permittat, ut in illud motorum fluctuum pelagus nos diffundamus: curioſos Lectores amandatos cupimus ad illa Scripta, qvæ ſuperiori annô contra illud edita ſunt. Videatur *Præadamita utis*, ſive *Fabula primorum Hominum ante Adamum conditorum exploſa a Joh. Dannhawero* Edit. Argentor. apud Joſiam Stædelium: item *Johannis Micrælii Pomerani S. S. Th. & Philoſophiæ Doctoris & Profeſſoris, Regiiq; Gymnaſii Stetinenſis Rectoris* Scriptùm eidem oppoſitum Stetini apud Valentinum Rhetium: nec non *Schediaſma Joh. Urſini Spirenſis*, ſive *novus Prometheus Præadamitarum ad caucaſum relegatus* edit. Francof. apud *Chriſtianum Hermsdorf*: *Samuelis Mareſii Refutatio fabulæ Præadamiticæ*, Groningæ typis *Franciſci Bronchorſtii*; *Johannis* Hilperti *in illuſtri Julia Profeſſoris Diſqviſitio de Præadamitis, Amſtelodami apud Johannem Janſſonium juniorem*: *Antonii* Hulſii *Non Ens Præadamiticum*, Lugd. Batav. apud *Johannem Elzevirium*: *Euſebii Romani Animadverſiones in* Librum *Præadamitarum*, Pariſiis apud *Joan. Billaine*. Hæc cuncta ſcripta annô ſuperiori 1656 contra unum anonymum Scriptorem Præadamiticum edita ſunt, qvem nos nominatim jam expreſſimus, cùm MS^{m} ſuum ipſe Auctor nobis tradiderit Hafniæ Anno 1645. Neutiqvam tamen perſvadere nobis unqvam potuimus, eò temeritatis dilapſurum virum aliàs humanum & ingenioſum, ut hoc commentum publicis typis excudendum daret, niſi res ipſa noſtris oculis expoſita fuiſſet. Sed hæc obiter & velut ἐν τῇ παρόδῳ. Nunc a *Peyrerio Gallo* nugarum Præadamiticarum editore ad *Gaffarellum* natione itidem Gallum Literas in cœlo pingentem ac fingentem calamus humô levatus evolabit. Eqvidem ne videamur verbîs promi, factîs autem condi, factioſi lingvâ, inertes operâ: conabimur efficere, Deo adjuvante, ut revocatîs in memoriam promiſsîs, qvibus noſtram fidem ſpopondimus ſub finem *Exercitationis primæ* benigno noſtrorum conatuum interpreti, ut, ſi qvid temporis indulgeret gementium typorum avaritia, impenderemus Characteribus cœleſtibus ad libellam cœleſtis veritatis expendendis & ἀπὸ τῆς στρεβλῆς Viri eruditi & ingenioſi *M. Johannis Gaffarelli Galli* vindicandis; ne aut literas noſtras cœlo mancipatas pateremur de-

ſertas,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)


ſertas, aut veritatem Scripturarum indefenſam conſultò relinqveremus.

Principiò itaqve vanam hujus opinionis de *Literis cœleſtibus* originem oſtendimus deberi iſtius gentis Doctoribus, qvi nugari cùm incipiunt, nunqvam deſinunt, ſive cœleſtia ſive terreſtria tractent, pervicaci & aſcitâ πωρώσει præpediti. Verbulô iſtos indigitamus: JUDÆI ſunt, qvibus eô fine concredita ſunt divina eloqvia Rom. 9. 2, ut iis contenti, procul haberent ut aliarum rerum, ita *Literarum* nugamenta, qvas levis ingenii aura efflat. Nominatim autem cùm illæ Literæ Qvæſt. VII Exer. I. ſint præſignatæ, eò Lectorem remiſſum cupimus. Supereſt modò, ut pari fide & induſtriâ Chriſtianos Scriptores heic malè feriatos Judæorum ſimios ſuis Magiſtris adjungamus. In qvibus primas tenet πολυτεχνίτης ille (tantùm non qvondam veneficus) priſcarum *Literarum* ludio, *Henricus Cornelius Agrippa* Lib. III, cap. 30, cujus hæc ſunt verba atrô carbone digna:

Alius characterizandi modus a Cabbaliſtis traditus.

Apud Hebræos *plures characterum invenio modos, qvorum unus eſt antiqviſſimus,* Scriptura *videlicet* antiqva, *qvâ uſi ſunt Moſes & Prophetæ, cujus forma nemini temere revelanda eſt: nam qvibus hodie utuntur literis, ab Eſdra inſtitutæ ſunt. Eſt etiam apud eos* Scriptura, *qvam vocant* cœleſtem, *qvia inter ſidera collocatam & figuratam oſtendunt, non ſecùs atq; ceteri Aſtrologi ſignorum imagines e Stellarum lineamentis educunt. Eſt etiam, qvam vocant* Scripturam Malachim vel Melachim, hoc eſt, *Angelorum* ſive *Regalem*: & eſt alia qvam vocant tranſitus fluvii, & horum omnium characteres & figuræ tales ſunt:

Scriptura Cœleſtis.



Pauci hujus *Scripturæ characteres Cœleſtes* mutationis aleam ſubierunt in Oedipo Ægyptiaco *Kircheri*, qvam ex ſubjecta oculis hypotypoſi Literarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)


rarum cœleſtium, qvas idem exhibet pag. 105, hic oculis tuis, benigne lector, ſubjicimus, cum hac inſcriptione:

Character duplex myſticus ab Angelo traditus.



בב וג״

Hæc literarum pictura ſumpta eſt ex tabula, in qva, teſte *Kirchero*, ex probatiſſimis Auctoribus primævorum characterum formæ, & reliqvorum omnium characterum, qvi ab iis originem ſumpſerunt, ſucceſſivâ temporum propagatione exhibentur. Ex qvibus oſtenditur apodictiċe differentia unius ab altero, omnesq; neſcio qvæ rudimenta primorum characterum in ſeipſis continent; verum & unicum originis ſuæ argumentum. Verum enim verò, diſſentit a *Kirchero Agrippa*, qvando novam Scripturam *Malakim* affert, eamq; diſtingvit ipſô ſcribendi modulô a cœleſti Scriptura. Hypotypoſis ſcripturæ *Malakim* ſive *Angelorum* talis extat Lib. 3. p. 274. de occulta Philoſophia:



Deinde, *Rabbi Abraham* F. David in Librum יצירה tradit Jod eſſe principium *Literarum* omnium hîs verbîs p. 58 edit. Amſtelodam 1639:

ראשית הכמה יראת ה״ כי היא ראשית כל הנמצאים והיא
כב יכול כעין החומר לצורה וכעין הנקודה שהיא אות יו״ד
שהיא ראשית כל האותיות: , qvæ ſic verteris: *Principium Sapien-*

tiæ

tiæ timor Domini: eò qvòd illa eſt principium omnium exiſtentium, ſicuti ſe habet materia ad formam, & ſicuti punctum, qvod eſt litera, eſt principium omnium Literarum.

Qvô jactô fundamentô, malumus cum *Rabbi Abraham* ſentire alterum characterem, qvi Angelico *Oedipi* Alphabeto parallelus eſt, Myſticus *Kirchero* dictus, & Angelis attributus, eſſe in ſua principia reſolutum, qvæ Joddim ſunt, qvàm Angelicis Literis aſcribere. Hoc obſervavit *Gvilielmus Poſtellus* Barentonius in Libro de *Fœnicum literis*, ſeu de priſco Latinæ & Græcæ lingvæ charactere, ejusq; antiqviſſima origine & uſu. Inſpice modò *Tabulam Secundam* ejusdem *Poſtelli*, qvæ huic Libro appenſa eſt, & mox idem alphabetum, qvod in Oedipo Ægyptiaco cernitur, ad primam ſui originem reductum jucundô oculorum aſpectu obſervabis. Nos primam tantùm hujus analytici Alphabethi literam  ad qvadruplex Jod ceu principium revocavimus. Ex eo qvid de reliqvorum Hebr. characterũ facili analyſi ſentiendũ ſit, haut difficulter perſpici poterit. Sed qvia plura de hoc Literarum Eberinarum principio Jod fuſiùs III EXERCITATIONE dicentur: nunc ad *Thurneyſſeri* ſecretiora ſcribendi genera, qvæ *Poſtelli* auctoritate nituntur, deſcendemus. Haut igitur abs re fuerit ad partes vocare מְלִיצָה, Ἑρμηνείαν, hoc eſt *Onomaſticum Hermeneuticum Leonhardi Thurneyſſeri Thurunenſis, Electoris Brandeburgici qvondam Medici*, in cujus pag. 167 II Part. edit. Berlinenſis 1583 de Scriptura Cabbaliſtico-cœleſti hæc perſcripta extant:



Mamamæ: Eſt מַמַמ Diß iſt recht alt Cabaliſtiſch geredt / von dreien unterſcheidenen Sprachen / als nemlich von Hebraiſch / Syriſch und Chaldæiſch oder Abyßiniſch / und iſt auß jeder Sprach ein Buchſtab genommen. Iſt ein bedeutung aller volkommenheit / darhalb / das im Gewicht / in der Maß / und an der Zahl (wie *Euclides* und *Pythagoras* melden) alle Operationen ſtehen. Dann

מְנֵה			*Numeravit*			Er hat Gezehlt.
מְדַד		iſt	*Menſuravit*		heiſt	Er hat Gemeßen.
שְׁקַל lege	מִשְׁקָל		*Ponderavit*			Er hat Gewegen.

Beſih *Paracelſum* de vera Magia, qvæ eſt plenitudo, conſumatio philoſophiæ naturalis lib. 15. cap. 21: Wir haben dieſelbigen Alphabet, dem Leſer hieher vorzeichnen wollen / damit er deſto beßer daraus kommen könne. Von dieſem Alphabeten und jhrem Verſtandt / beſih *R. Nathanem* de Sacra rer: arte lib. 19. cap. 33. Item lib. 52. cap. 41, 53, und 61. Item von dem Cabaliſtiſchen Alphabeten ſchreibt auch *R. Kanahab*, im 5. Buch der Unterſcheiden. cap. 32.

Cabbaliſtarum *Alphabeta* tria, teſte *Agrippa*, primum dictum eſt *Cæleſte*, qvo in Aſtrologicis utitur. Huic ſubjungit *Thurneyſſerus* Alphabetum, qvod nos ſuprà ex Agrippa attulimus, eiq; addit aliud ex Agrippa, vocatum *Melakim*, hoc eſt, *Regum* vel *Regale*. *Tertium* deniq; dictum *Tranſitus fluvii*, qvod *Agrippæ* falſò aſcribit, & perperam ad *Tranſitum fluvii* refert *Thurneyſſerus*, planè fictitium & e variis *Ambroſii Theſei*, *Agrippæ*, *Abrahami de Balmis* conſarcinatum opinamur.

Porrò, inter omnes Chriſtianos harum Olympicarum Literarum interpolatores eminet *M. Joannes Gaffarellus Gallus*, velut inter ſtellas luna minores: cujus rei teſtis eſt Liber, qvem inſcripſit *Curioſites innouyes*, hoc eſt, *Curioſitates inauditæ de Sculptura Talismannica, Perſarum, Horoſcopo Patriarcharum & Lectura Stellarum.* Nam Cap. 13. p. 282. edit. 1637 haut veretur S. Scripturæ auctoritate abuti, ut ruinoſo cœli ſui Alphabeto varia fulcra ſupponat. Horum Primum extorſit *Eſaiæ Prophetæ*, qvod deſcriptum extat c. 34, v. 4, in qvo dicit a Spiritu Sancto *Cœlum* nuncupari *Librum*. Qvod ſi igitur *Cœlum* in Scripturis divinis *Liber* dicatur, in *Libro* illo invenies *Literas* & *Characteres* nonnullis intelligibiles.

Secundum divino Moſi violentiùs eripit e Geneſeos cap. 1, v. 1, lin. 1. בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ : Vox אֵת, vel אוֹת, ipſo judice, notat *Characterem* vel *Literam*, adeo ut את השמים interpretetur characterem cœli. Mox Literas e linea exſculpit: id qvod ut expediat, huc obtortô collô trahit illuſtre Pſalmi Davidici 19, v. 5 dictum: *In omnem terram exiit* קַוָּם, *regula eorum*, Paulum autem Apoſt.

qvi

qvi Rom. 10, 18 *Lineam* interpretatur *ſonum*, ſeqvutus 72 Interpretes, cum originali textu Ebræorum ſic conciliat, ut minimè ſe errare putet, qvòd ſecurè ſeqvutus veſtigia Literæ קוּם interpretetur *Lineam* eorum, ſed ita ut illa *Linea* intelligatur de *Stellis* in cœlo ordinatis tanqvam de *Literis* in charta vel pergamena ſcriptis. Qvâ ratione, ipſô arbitrô, Scriptura dicit, Deum cœlos ſicut pellem extendere Pſalm. 103, 2, & hoc extentum vocat רָקִיעַ, unde Græcum ῥακός cutem vel corium ſignificans deducunt, qvòd proprium pellis ſit extendi. Huic verò extento cœlo tanqvam pelli Deus *Stellas* ordinavit ceu characteres, qvi lecti narrant tanqvam in ſacro libro omnibus Dei mirabilia, qvi eos legere nôrunt. Etenim Cœli enarrant gloriam Dei, inqvit Pſaltes. Sed, inqvit, dixerit aliqvis, cœlos qvidem enarrare gloriam Dei, ſed extenſione qvâdam prodigioſâ, harmoniâ, lumine, ordine & mirifico motu, non aliqvâ Scripturâ. Verùm enim verò doctiſſimus Theologus, judice *Gaffarellô*, R. *Moſes* affirmat ספר nunqvam rebus inanimatis attribui: qvocirca Cœlos non eſſe animâ deſtitutos aliqvâ affirmârit, qvæ alia non eſt qvàm beatæ Intelligentiæ, qvæ *Stellas* diſponentes juxta *Literas* a Deo ordinatas hac *Scripturâ cœleſti* mortalibus ſutura præmonſtrant. Atq; hęc ratio eſt, cur eadem *Scriptura* dicatur ab omnibus antiqvis כְּתָב הַמַּלְאָכִים *Chetabh Hamalakim* (*Gaffarellus* perperam legit, *hamelachim*, *Scriptura Angelorum*). Notate verò hæc ſacra Davidis verba (*Cœli* enarrant gloriam Dei) clarè intelligi de *ſcriptura* hac *cœleſti*, cùm ἀμέσως ſeqvatur: *In omnem terram exiit linea eorum.* Eqvidem ſcio qvidem, inqvit, juxta Paulum & LXX intelligi poſſe per Cœlos Apoſtolos, aut ſecundum alios, Prophetas: ſed ſi qvis, præteritô literali ſenſu, allegoriam vellet ſectari, is criminis haut exigui a majoribus damnas judicaretur. Scripturæ verba, inqviunt Scholæ, propriè intelligenda ſunt, qvando nihil abſurdi inde ſeqvitur: ita qvando nos Literæ adhæreſcimus, hæc dicta & pleraq; alia a me omiſſa hanc *Scripturam cœleſtem* confirmant. &c.

Hæc ſunt arachnæa ſulcimenta, qvibus ſtatuminare parat Cœleſtem & Angelicam ſuam literaturam Gallus noſter; ſed qvo ſucceſſu & robore, ſeqventia noſtræ Diſſertationis momenta clarè ad oculum demonſtrabunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

PRIMUM MOMENTUM.

QVando privatas noſtras Particularum Hebraic. MS[tas] Concordantias, uti vocant, conſulimus; numerantur octies mille centum & triginta Teſtimonia Hebraicorum voluminum, in qvibus bilitera את cum compoſitis extare deprehenditur; nuſqvam tamen locorum, *Characterem* vel *Literam* verè notare comperitur.

	בראשית	Geneſi,	862
	שמות	Exodo,	669
	ויקרא	Levitico,	556
	במדבר	Num.	542
	הדברים	Deuteron.	490
	יהושע	Joſva	311
	שופטים	Judicum	320
	רות	Ruth	28
	שמואל א	1 Sam.	427
	שמואל ב	2 Samuel.	337
	מלכים א	1 Regum	400
	מלכים ב	2 Regum	426
	דברי הימים א	1 Paralip.	212
	דברי הימים ב	2 Paralip.	345
	עזרא	Eſdra	20
	נחמיה	Nehem.	90
	אסתר	Eſther	79
IN	איוב	Job	43
	תהלים	Pſalm.	150
	משלי	Proverb.	39
	קהלת	Eccleſiaſt.	52
	שיר השירים	Cant. Cant.	18
	ישעיה	Eſaia	195
	ירמיה	Jeremia	684
	איכה	Threnis	6
	יחזקאל	Jezech.	520
	דניאל	Daniel.	33

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

הושע	Hoſea	36
יואל	Joël	15
עמוס	Amos	39
עובדיה	Obad.	17
יונה	Jon.	12
מיכה	Mich.	18
נחום	Nahum	1
חבקוק	Habakuk	4
צפניה	Sophon.	14
חגי	Chag.	13
זכריה	Zacharia	77
מלאכי	Malach.	29

Qvòd ſi Servatoris incitamentum ſalutare in memoriam revocaverit Joh. 5, 39, & ſollerti piæ mentis indagine hæc totius Scripturæ de una particula Ebraica teſtantis loca ſcrutatus fuerit, tantum abeſt, ut vel unum ex 8130 deprehenderit, qvod vel gry *Literæ cœleſtis* aut *Angelicæ* admittat, ut potiùs aliis uſibus deſervire comperiatur: qvibus oſtendendis SECUNDUM MOMENTUM vacabit.

Secundum Momentum.

Syncategorematica Particula את eſt genuinus Articulus *Qvarti Caſus*, qvi Grammaticis *Accuſativus* dicitur, cum verbis actionem μεταβατικὴν ſive tranſitivam ſignificantibus, qvod genus Verborum Hebræi פעל יצא appellant.

Hoc momentum probatu haut difficile. Etenim in tribus præcedentibus Gen. capitibus qvadragies ferme in hunc ſenſum uſurpata extat, vid. Gen. 1. v. 1, 4, 7. 16, 21, 22, 25, 27, 28, 29, 30, 31, c. 2, 3, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 13, 15, 19, 22, 24. c. 3, 8, 18, 23, 24, &c. Sic Exod. c. 32, v. 37, & paſſim in divinis V. fœderis monumentis.

Ut autem religioſa σύγκρισις & ἀνάκρισις non modò ſententiarum & dictionum, ſed & minimarum particularum curioſè inſtituatur ab eo, qvi ſollicitâ puræ mentis inveſtigatione ſacras Scripturas ſcrutari tenetur Joh. 5, v. 39: ecce inveſtigatam e *divinis Literis* variorum locorum ſymbolam vero particulæ δεικτικῆς uſui indicando apprimè deſervituram:

אֶת־ אֶרֶץ מְגֻרֶיךָ אֵת־ כָּל־ אֶרֶץ כְּנַעַן Gen. 17. v. 8.

Terram peregrinationis tuæ, ETH omnem terram Canaan.

אֶת־ בִּנְךָ אֶת־ יְחִידְךָ Gen. 22. v. 2. & 12, 16.

Sume filium tuum, ETH unigenitum tuum.

וַיִּקַּח אִשָּׁה אֶת־ יְהוּדִית בַּת בְּאֵרִי Gen. 26. v. 34.

Et accepit uxorem, ETH Jehuditham filiam Beeri.

וַיִּקַּח אֶת- שְׁנֵי בָנָיו עִמּוֹ אֶת- מְנַשֶּׁה וְאֶת- אֶפְרָיִם Gen. 48. v. 1.

Et aſſumpſit duos filios ſuos ſecum, ETH Manaſſen & ETH Ephraimum.

וַתִּרְאֵהוּ אֶת הַיֶּלֶד Exod. 2. v. 6.

Et vidit eum ETH infantem.

אֵת- כָּל- הַמִּצְוֹת וג׳ אֵת כָּל- אֲשֶׁר צִוָּה Num. 15. v. 22, 23.

ETH omnes præceptiones, &c. ETH omnia, quæ præcepi.

וָאֶקַּח אֶת- אֲבִיכֶם אֶת- אַבְרָהָם Joſuæ 24. v. 3.

Et accepi ETH Patrem veſtrum, ETH Abrahamum. Græci: τ̃ πατέρα ὑμῶν τ̃ ἀβραάμ.

אֶת- אֹיְבֵיכֶם אֶת- מוֹאָב Judic. 3. v. 28.

ETH hoſtes veſtros, ETH Moabitas.

וַעֲשֶׂרֶת אֲלָפִים אֶת- אִישׁ יְהוּדָה 1 Sam. 15. v. 4.

Congregavit (Saul) 10000 ETH viros Judæ.

וְהַחֲרַמְתָּ אֶת- הַחַטָּאִים אֶת- עֲמָלֵק Ibid. v. 18.

Et anathematizabis peccatores, ETH Amalachitas.

תְּנָה אֶת- אִשְׁתִּי אֶת- מִיכַל 2 Sam. 3. v. 14.

Da uxorem meam, ETH Michal. Græci: Ἀπόδος μοι τὴν γυναῖκα μου τὴν Μιχόλ.

2 Sam.

ז אֶת-עַמִּי אֶת-יִשְׂרָאֵל 2 Sam. 5. v. 2.
2 Sam. 7. v. 7.

Populum meum ETH *Iſraelem.* Græci τ̃ λαόν μου, τ̃ Ἰσραήλ.

חָשֵׁב אֶת-הַנַּעַר אֶת-אַבְשָׁלוֹם 2 Sam. 14. v. 21.

Revoca ETH *puerum*, ETH *Abſolonem.*

לִפְקֹד אֶת-הָעָם אֶת-יִשְׂרָאֵל 2 Sam. 24. v. 4.

Ad numerandum populum, ETH *Iſraelem.*

וַיָּקֶם לוֹ שָׂטָן אֶת-רְזוֹן 1 Reg. 11. v. 23.

Et ſuſcitavit (Deus) ei adverſarium ETH *Rezon.*

אֶת-בְּרִיתוֹ אֶת-כָּל-אֲשֶׁר צִוָּה מֹשֶׁה 2 Reg. 18. v. 12.

Et fœdus ejus (violaverunt) ETH *omnia qvæ præcepit eis Moſes.*

אֶת-עַמִּי אֶת-יִשְׂרָאֵל 1 Paral. 11. v. 2.

Populum meum ETH *Iſraelem.*

אֶת-כֹּהֲנֵי יְהוָה אֶת-בְּנֵי אַהֲרֹן 2 Paral. 13. v. 9.

Sacerdotes Jehovæ ETH *filios Aharonis.*

גַּם צִפּוֹר מָצְאָה בַיִת אֶת-מִזְבְּחוֹתֶיךָ Pſalm. 84. v. 4.

Etiam avis invenit domum, & hirundo nidum ſibi, ETH *altaria tua* (i. e. ipſa altaria tua) Græci τὰ θυσιαστήριά σου.

רוֹצֶה יְהוָה אֶת-יְרֵאָיו אֶת-הַמְיַחֲלִים לְחַסְדּוֹ Pſal. 147. v. 11.

Acceptat Jehova timentes ſe, & ſperantes in miſericordia ſua.

וַתּוֹצֵא אֶת-עַמְּךָ אֶת יִשְׂרָאֵל Jerem. 32. v. 21.

Et eduxiſti populum tuum, ETH *Iſraelem.*

וְאֶת-הַכַּשְׂדִּים אֲשֶׁר נִמְצְאוּ שָׁם אֵת אַנְשֵׁי מִלְחָמָה הִכָּה Jerem. 41. v. 3.

Et Chaldæos qvi ibi reperiebantur, ETH *viros bellicoſos cecidit.*

Jerem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

אֶת־כָּל־שְׁאֵרִית יְהוּדָה אֶת־הַגְּבָרִים Jerem. 43. v. 5, 6.

וְאֶת־הַנָּשִׁים וְאֶת הַטַּף

(Et ſumpſit Jochanan) omnes reliqvias Juda, E T H viros, & E T H mulieres, & E T H infantes.

וְחַקּוֹתָ עָלֶיהָ עִיר אֶת־יְרוּשָׁלָם Ezech. 4. v. 1.

Et ſculpes ſuper eam urbem E T H Jeruſalem; Græci, πόλιν τὴν Ἱερουσαλήμ.

Plura hujus rei teſtimonia convectare animus non eſt, cùm ſuprà cuncti Hebraicorum voluminum loci non qvidem in conſpectu, ſed in numerato fuerint, ad qvæ legenda & conferenda ſollers Lector remittitur. Qvæ ſi qvis ſollicitiùs cum hiſce Teſtimoniis Eberinæ & Latialis dialecti contulerit, tantùm abeſt, ut συγκαληγόρημα biliterum אֶת nuſqvā locorum citatorum adhibitum ſit ad indigitanda Elementa, Signa, aut Characteres Cœlorum, ut potiùs emphaticâ qvadam ἀποδείξει ipſiſſimam rei, cui juncta deprehenditur, ſubſtantiam haut rarò expreſſerit. Id qvod non tam noſtris qvàm *Rabbi Davidis Kimchii* verbis demonſtramus in *Literis Radicum* deſcriptis: את תורה המלה הזאת על עצם הדבר הפעל: Hoc eſt: *Hæc Legis dictio* ipſam ſubſtantiam *rei factæ ſignificat.*

Qvæ obſervatio adeo certa eſt, ut Eva prima hominum mater velut protensô digitô oſtendat ac præ nimio gaudio in hæc verba prorumpat edito in lucem Caino:

קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה

Adepta ſum virum I P S U M *Jehovam.* Virum non ſexu tantùm, ut juſtô dilutiùs *Mercerus* heic commentatur, ſed admirandarum virium gloriâ longè præſtantiſſimum.

Eqvidem virum talem tantúmq; a ſe in lucem editum eſſe clamat Πρωτομήτηρ, qvi viribus omnes antecelleret, & rerum ſalutarium gerendarum gloriâ florentiſſimus evaderet, virum, qvi eſſet abſolutum omnis virtutis exemplar, virum, cujus vis & vigor humi jacentibus homuncionibus benignè conferenda eſſet, & virum deniqve, cujus ſolius Marte & arte εἰς ἄνδρα τέλειον καταντήσωμεν, qvalis meminit divinus Jeſſæi Poëmatis Vates Pſal. 1, v. 1. & 32, v. 1, 2, atq; ex eo *Paulus* Rom. 4, v. 7, 8.

TERTIUM MOMENTUM.

PArticula אֵת juncta verbo, qvod Hebræis מִתְפָּעֵל dicitur, nonnunqvam admittit Nominativum rei patientis, veluti ex ſeqventibus locis patet Gen. 17, v. 5. cap. 21, v. 5. Exod. 10, v. 8. 1 Sam. 17, v. 34. 2 Reg. 6, v. 5. Jer. 50, v. 20. Intranſitivo verò addita interdum per עִם (cum) exponi comparata eſt, ſicuti apparet ex loco Eſa. 28, v. 15.

Qvam expoſitionem huic loco congruere evincunt alia loca Exod. 1, v. 1. 2 Sam. 19, v. 31, 34. 1 Paral. 20, 5. Eſa. 23, 17. cap. 44, v. 13, 14. Eandem confirmat Apoſtolus Paulus, dum עִם proximô *Eſaiæ* locô adductum per Nominativum explicat Rom. 11, v. 34 in ſeqventibus verbis: Τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο;

Qvamobrem plurimùm confidimus qvemvis qvi non prorſus cerebrum in calcaneo geſtat, intelligere ex iis, qvæ ſtudioſiùs modò ſumus perſeqvuti verum ac genuinum conſignificativæ hujus voculæ אֵת uſum; qvòd rem vel perſonam δεικτικῶς indigitet, neutiqvam verò deſignandis *Cœlorum characteribus* a Spiritu Sancto in Scripturis ullibi accommodata memoretur.

QVARTUM MOMENTUM.

DAvidicum קָו *Kav* neutiqvam juvat *Gaffarelli* Literarium Cœlum. Nam τὸ קָו Pſal. 19, v. 5 non tam *Lineam Literîs* ac *Syllabis* conſtantem, qvàm cœlorum ampliſſimè expanſorum linearem ſtructuram, ejúſqve partes primas, medias & poſtremas juxta *Lineam* ſeu funiculum ductilem longiùs extendi comparatas ad enarrandam Dei gloriam.

Non in *Literarum* aut *Syllabarum* ductibus ſita eſt admirabilis illa convenientia, qvæ intercedit Lineæ cum extento רקיע R*akia*, hoc eſt, ſubtiliſſimo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

liſſimo & vaſtiſſimo ęthere pariter & aëre,ſed in ipſa extendendi regulari facilitate, indicio & canonicô partium ordine. Veluti enim ſollertis architecti קו ſeu funiculus menſioni aptus, juxta qvem ædificium conformari ſolet, paulatim facilis evolvi ac extendi ab involucris ſuis unam ideæ artificioſę ſeriem pręſignat;qvâ pręſignatâ & ſepoſitâ rurſum menſor extendit *Linearem funiculum*,ut novum ordinem deſignet;qvô deſignatô curiosè pergit,donec totus ordo partium fuerit delineatus:pari modô *Canon* diviniſſimi primi DICTI-FACTI & reapſe conſpicui in Cœlis *Verbi* cū aurora ſurgente velut rubeſcit primulùm,poſtea pleniore luce diditus magis oculos afficit, promovetq; hominum ſtudia & labores, tandem verò ad ſupremum cœli faſtigium extentus efficit, ut meridiani ſolis pleniſſimum jubar terris miniſtretur, atq; ſic ab ortu ad occaſum amuſſitatô immutabilium ſpatiorum volumine commeans illuſtriſſimum ſidus intra viginti qvatuor horarum intervalla univerſo terrarum & circumfuſarum aqvarum orbi illuceat, cunctiſq; qvæ Solis & Lunæ circis ſubſunt, vitalis auræ calorem indat, vigorem imprimat congruenter efficaciſſimi atq; omnipotentiſſimi Conditoris primo ac ſummè regulari DICTO-FACTO.

Eqvidem ampliſſimum Cœlorum הרקיע *Harakia* ſuffultum qvidem τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως Hebr. 1, 3, ſed initiò extentum ex aqveo chao in tenuiſſimas auras, ſeqvaciſſimum aëra atq; præcelſum æthera, in primis regularem Choragi ac Sponſi cœleſtis Solis circuitū tam preſſis, tam ordinatis veſtigiis ſeqvitur,ut a *Linea* & *Lege*, qvā æternus menſor præſignavit, nunqvam inde uſqve a primo ſui curſus exordio uſq; ad ultima orbis fata vel latum pilum exorbitet, niſi in medio curſu a Statore ter omnipotentiſſ. ter Opt. Max. ſiſti jubeatur, id qvod factum legimus Joſv. 10. 12, 13. 2 Reg. 20. 11. Eſa. 38. 8. 2 Par. 32. 24.

Qvæ cùm ita ſe habeant, tantùm abeſt, ut קו הרקיע Regula ſeu funiculus extentus cœlorum abeat a rectiſſima & conſtantiſſima primigenii ſui יְהִי οὐσίᾳ, ut potius linearem ejus ductum & amuſſitatam ὀρθότητα arctîs veſtigiîs inſeqvatur, qvam Omnipotentiſſimum Verbum citiùs qvàm nuit oculus, attenuato ac diducto ex indigeſta lutulentarum aqvarum mole רקיע RAKIA, hoc eſt, EXPANSO patentiſſimo ingeneravit;non ſecùs ac qvondam poſt ſuſpenſum & diductum ςερέωμα

reſi-

reſiduis circa chaos aqvis rectilineum & ordinarium ſuum קַו indidit Deus, cujus adhuc usq; adeo tenaces ſunt, ut ſi vel maximè aliqvando volvantur montes aqvarum, imò

Una eurusq; nothusq; ruant timidusq; procellis
Africus, & vaſtos volvant ad littora fluctus,
Adeo ut,
Arte laboratæ mergantur in æqvore puppes:

tamen extra regularem inditi motus lineam metámve non evagentur, niſi extraordinariâ eluvione is, qvi cœlum, terram & maria condidit Gen. 1, 1. c. 14, 19. c. 24, 3. Pſalm. 121, 2. 115, 15. 123, 8 cladem mortalium peccatis prænunciet, aut eædem aqvæ humanâ induſtria & arte intra certa receptacula & aggeres concluſæ perrumpant qvandoq; aggeſtas & interjectas moles, viamq; vi adaperiant ad primum ſibi a Deo limitem conſtitutum efficaciſſimo verbô, qvod Moſis calamus ſic prodidit Gen. 1. v. 8: יִקָּווּ הַמַּיִם מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם אֶל־מָקוֹם אֶחָד hoc eſt, rectà confluant aqvæ ceu וְתֵרָאֶה הַיַּבָּשָׁה יִקָּווּ extentum funiculum menſoris κατὰ πόδα ſeqvuturæ vel præſignatam regularem lineam in unum vaſtum Oceani capaciſſimi locum uſqve ad πέρατα, terminos & metas prorſus canonicas ſibi a Deo præſtitutas.

Hoc canone & accurata regulâ nihil in tota hac vaſtiſſima rerum univerſitate verbô *Elohim* conditum deſtituitur, ſicut ſcriptum eſt Sapient. 11, v. 17: Οὐ γὰρ ἠπόρει ἡ παντοδύναμός σου χεὶρ, καὶ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης, ἀλλὰ (qvæ mox ſubjungit verſu 21) πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας: *Non enim impotens erat omnipotens tua manus, & creavit mundum ex informi materia, ſed omnia menſurâ & numero & pondere diſpoſuiſti.* Huic menſuræ regulari convenienter ſcripſit divinus *Eſaias* cap. 40, v. 12: מִי־מָדַד בְּשָׁעֳלוֹ מַיִם וְשָׁמַיִם בַּזֶּרֶת תִּכֵּן וְכָל בַּשָּׁלִשׁ עֲפַר הָאָרֶץ וְשָׁקַל בַּפֶּלֶס הָרִים וּגְבָעוֹת בְּמֹאזְנָיִם׃ hoc eſt, *Qvis menſus eſt in pugillo ſuo aqvas, & cœlos in palmô menſuravit, & appendit in ſtatera montes, & colles in ſtatera?* Iidem ſtateræ congruenter *dextra* JEHOVÆ *menſa eſt cœlos*, ſic ſcriptum eſt ab eodem Eſaia.

Eqvidem SAPIENTIA inſtar firmi ac inviolabilis ſtatuti *circulum impoſuit ipſi voragini, liqvidum æthera ſtabilivit, fontes voraginis ſolidavit, mari*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

mari ſtatutum ſuum poſuit, ne aqvæ tranſeant littus (פִּין os) *ſuum*, *certis limitibus fundamenta terræ circumſcripſit* Prov. 8, 25, ſeq. *Imò Cœlum cortinæ inſtar terras & maria operire regulariter* protenſum terrámq; ſub ſe continere, atqve ſuprema ſui parte ex M A I M, ſive *liqvoris gemina materia* & natura conſtare ſic declarat Jeſſæus Vates: *Qvi extendis cœlos ſicut cortinam, qvi aqvîs contignas ſuperiora ejus* Pſalm. 104, 2.

Porrò temperare nobis non poſſumus, qvin inſignem Diſſertationem *Benedicti Ariæ Montani* oculati interpretis S. Scripturarum de gemino aqvarum liqvore, qvem Deus in primordio conditarum rerum ad קו *Kav* ſeu *regulam* qvaſi dirigendo deduxit in ordinarios alveos & terræ latè patentes cavernas, aſcribamus, in primis cùm in publicis Bibliopoliis valde rareſcat hic Liber novis typîs dignus. Inſcribitur autem *Naturæ Hiſtoria*, qvam *Arias Montanus* primam in magni operis corpore partem conſtituit, REGI SECULORUM IMMORTALI ET INVISIBILI SOLI DEO dicavit, & Antverpiæ ex officina Plantiniana apud *Joannem Moretum* cIↃ IↃcI edidit. Concepta Montanianæ Diſſertationis verba hæc ſunt: *Eſt autem M A I M liqvor geminus. Alter ſua ſponte pingvis, dulcis, lentior & in omnem partem ductilis minusq; concreſcens: cujus naturam in rebus iis, qvarum uſum accipimus, lac oleumq; præcipuè referunt. Alter verò humidus ac ſalſus eſt: facilè ſeqvax, docilis vacua penetrare & implere calori ac frigori obnoxium, & utravis harum virium concreſcere natum: ubi verò concrevit, friabilis. Huic nomen propter verborum penuriam, Latina lingva plurali numero aqvas fecit, qvo notiſſimum omnium & communiſſimum liqvorem ſignificare conſveverat. Sed vox ipſa primæva M A I M eo numero ſemper pronunciatur, qvô naturâ geminæ ſive duplices res indicantur ac ſignificantur; τὼ ὕδατε, ſive, τὼ ὑγρὼ Græcis dici poſſet. Igitur ex hujus duplicis liqvoris varia & multiplici mixtione & coaptatione, ac proportionis diſpenſatione, tanqvam opportuna & comparata materia variæ ac multiplices rerum formæ ac naturæ confectæ ſunt, ac perpetuò conficiuntur, pro ſingulorum ratione, uſu, durationeq; generum. Atq; ex his aliæ in alias mutantur formas; aliæq; per alias vel diſſipantur vel conſervantur pro ſummi auctoris nutu & arbitrio a judicii veritate nunqvam alieno, & pro* JEHI *ſapiente efficentia & Spiritus Elohim præſentia, virtute ac moderatione* &c. *Eſt autem Spiritus* ELOHIM *formarum omnium aptator, diſcretor, conſtitutor ac moderator. Id qvod ita Moſes indicavit.* Et Spiritus

ritus *Elohim merachephet*, id eſt, *efficaciter motitans, conſovens, agitans ſuper facies gemini liqvoris.*

Atq; (pergit Arias) *diverſam illam gemini liqvoris vim, qvam rerum corpus poſthac ſive materiam appellari nihil prohibet, diſcernere ac dignoſcere facilè obſervanti & attendenti fuerit: qvippe qvam in omni compoſitarum, qvæ uſui veniunt, rerum natura vel igne admoto & incenſo, deprehendere ſenſibus liceat. Namq; ignis in omni qvod corripit corpore, pingvem liqvorem a ſalſo ſejungit; qvippe qvi illô alatur, nutriatur, creſcat, & conſervetur; hunc verò tanqvam inimicum horreat, reſpuat & propellat; aliàs nocentem ſeq; extincturum experturus.* S. S. E. Exod. 35, 14: Candelabrum ad luminaria ſuſtentanda vaſa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium. Eccleſiaſt. 3, 33: Ignem ardentem extingvit aqva, & eleemoſyna obſiſtit peccatis. *Qvatuor itaq; rerum primordia ſive principia ſunt, CAUSA JEHI, SPIRITU*[illegible] [illegible]*HIM, MAIM, ſive liqvores duo; ex qvibus corporea qvæqve conſtant, & in qvæ, cum reſolvuntur, abeunt. Nam rerum formas & ſpecies cauſarum potiùs effecta, qvàm cauſas dicimus.*

Qvamvis ſingula heic non probemus, utpote, præteriri ab *Aria* craſſiorem partém τῶ תהו ובהו, & ſolummodò geminum Liqvorem conſtitui materiam, omiſsâ terræ mentione; item, omitti tenuem ac dulcem fontium, fluminum & pluviarum liqvorem: tamen multa heic notatu digna occurrunt, qvę tantò fuſiùs adferenda duximus, qvantò certiores ſumus, hanc *Scripturæ* & *Naturæ* explicationem traditam magnô ſtudiô & ſollerti ingeniô Doctiſſimi Hiſpani *Ariæ Montani* a multis ſiccô pede præteriri, qvi vulgaribus Philoſophorum opinionibus imbuti ad vocum Hebraicarum τὸ קרב ceu intimam medullam raró penetrant, nedum ad reconditos ſublimiorum rerum theſauros, qvi inſtar vitellorum vocibus Eberinis involuti hærent, penitùs pertingunt. Talium vocum cenſui meritò accenſetur Davidicum τὸ קַו Kav variis interpretum ac Doctorum expoſitionibus celebre. *Targ.* מחית עיניהון *extenſio negotii eorum*, alludit ad *extenſionem funiculi & amuſſis.* Syriaca verſio edita Lugduni Batav. *Erpenii* curâ apud *Maire* & *Elzevir* 1625: ܣܒܪܬܗܘܢ *Evangelium eorũ.* Syriacum MSStum, qvod citat *Joan. Viccars Anglus* in Decaplis Pſal. edit. 1655: סבר תהון *ſpes eorum.* Sed verò, ſi non קַו, ſed מקוה aut תקוה ſcriptum fuiſſet in primigenio Davidis textu, Verſio iſta

MSti Anglicani aſſenſum mereretur. Hæc enim duo nomina ſpem & ſollicitam exſpectationem notant. Qvam ſignificationem τȣ̃ תִּקְוָה evincunt loca Pſalm. 9, 19. 62, 6. 71, 5. In qvibus LXXII, ὑπομονῇ. Et Jerem. 14, 8 uſurpatur מִקְוֵה pro exſpectatione, qvam indoli radicis קוה ſpiritualem animi collectionem, qvâ ſpes noſtra continetur, vocare licebit. Arabicum Pſalterium Romæ editum a *Victorio Scialac Accurenſi* & *Gabriele Sionita Edenienſe Maronitis e monte Libano, Exierunt voces eorum in omnem terram. R. David Kimchi* בנינם, *ædificium eorum.* Unde Hiſpanica Biblia in Decaplis Vicarſianis, *Edificio.* Sed Hiſpanica Verſio ed. 1569 ſic habet: *En toda la tierra ſalto ſu hilo.* Anglicana, ed. Cantabrigiæ 1638: *Their line.* in Margine: *their rule, or direction. Munſteri, directio eorum. Cajetani,* filum eorum. *Arctii Felini,* indicium eorum. Sed obſervandum, qvod *Aretius Felinus* fictum ſit nomen. Genuinus enim hujus explanationis Pſalmorum ad Hebraicam veritatem verſorum, annoqve 1529 Argent. editorum, interpres *Martinus Bucerus Theologus*, teſte *Cochlæo* in Diſſertatione de novis ex Ebræo Tranſlationibus publicata anno 1544. Ne verò dicatur dica injuriæ ſcripta *Bucero Calvini* partibus addictiori a *Cochlæo Pontificio;* audiatur *Joſias Simlerus*, qvi in vita *Petri Martyris* Comment. in Geneſin ſic ſcripſit: Martyr *nactus* Buceri *Commentaria in Evangeliſtas & Annotationes in Pſalmos, qvas ille ſub* Aretii Filini *nomine ediderat, diligenter evolvit.* Italica Diodati: *Linea*, qvam his illuſtrat notis: *Come chi direbbe, La loro ſcrittura a groſſi tratti, e ſemplice. Altri, la lor delineatione: c. la lor ſtruttura, perfettamente addirizzata, ed ordinata.* Luth. 1. ed. Richtſchnür. Nova Dan. Snor. Margin: Rom. 10, 18. Linie/ Schrifft/ Retteſnor / Aandelig Bygning. Iſlandica prima Holumiæ 1584: Vm øll lønd er Peirra Hliomur utgein geñ. Iſlandica nova edit. 1644: Mæle-Praidur utgeingeñ. Biblia Cyſſegr-lan edit. Londini à Chriſtoph. Backer. 1588: *I bob tir yr acth en ſain hwynt.* In Manuali Lapponico, qvod Stockholmiæ evulgavit Joh. J. Tornæus Bothn. 1648 extat Pſal. 18. cujus verſ. 5. ita ſonat: Stien paddeg ulkos-manna caikit ednamit/ ia ſtien ruodu kidda tocko Wårelden kååtz. Sym: ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν: *ſed in omnem terram exiit ſonus eorum. Aqvila*, εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ κανὼν αὐτῶν; *in omnem terram exiit regula ipſorum.* LXXII ὁ φθόγγος αὐτῶν. Hos ſeqvutus Apoſtolus Paulus ad Romanos ſic ſcribit: Ἀλλὰ λέγω,

μὴ

μὴ οὐκ ἤκουσαν; μενοῦνγε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν, *Sed dico, annon audierunt? Atqvi in omnem terram exiit* ſonus eorum, *& in fines orbis terrarum verba illorum.* Vulgatus Interpres, Ang. MS, Gall. *Sonus eorum. Felix Pratenſis* in omnem terram exiit *curſus eorum. Arias Montanus* Commentar. in Pſalmum hunc, *lineam, Verſum, Pauſam* interpretatur. *Joannes Campenſis*; in paraphraſi ſuâ, qvæ edita eſt Roſchildiæ 1636 ſic verſ. 4, Pſalm. 19 circumſcribit: *Univerſam terram pervagata eſt* doctrina eorum, *& uſqve ad extremos orbis fines pervenerunt prædicationes illorum, ipſi Soli aptavit Dominus habitaculum in eis,* & *imperium dedit in eos.*

Qvò ſpectat ſingularis meditatio *Joannis Forſteri Auguſtani*, Sacræ Theologiæ Doctoris, ac Hebraicæ lingvæ Profeſſoris in Academia Wittebergenſi, in Dictionario Hebraico ad vocem קו: *in omnem terram,* inqvit, *exiit funiculus eorum,* id eſt, *dimenſum eorum in doctrina Evangelii & ejus propagatione:* ad qvam Paulus Apoſtolus qvoqve alludit. 2 Cor. 10, v. 13: *Nos autem non in* immenſum (εἰς τὰ ἄμετρα) *gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ* (τοῦ κανόνος), *qvam admenſus eſt nobis Deus pertingendi ad vos. Wilhelmus Lindanus Dordracenus.* S. T. D. Regius Conſiliarius, Epiſcopus qvondam Trajectenſis, de Optimo Scripturas interpretandi genere lib. 1. pag. 25 verſâ hunc locum vitiatum eſſe autumat hîs uſus verbîs: *D. Hieron. cum 70 legit,* Sonus eorum, *cum hodie in veritate iſtâ Hebraicâ ſit* קום *Kafvam, qvod alii funiculum, alii curſum, alii aliud reddunt. Verùm ea vox ſonum a D. Paulo commemoratum & interpretatum, non edit, niſi* ו *Vav gemines non in latus, ſed in longum: hæc eſt ex uno* ו *Vav ſuperpoſito altero, fabrices tibi* ל *ut legas* קלם *Kolam, vox eorum.*

Verum enim verò *Joannes Iſaacus Levita Germanus* diſcipulum ſuum *Wilhelmum Lindanum* refutat in defenſione Veritatis Hebraicæ Sacrarum Scripturarum lib. 3. pag. 143 edit. Colon. 1559: *Licet tibi Lindane concederetur, ut in* קום, ו *vav in* ל *lamed mutares, te tamen hunc ſenſum & interpretationem* (*ſcilicet ſonum vel vocem eorum*) *qvam venaris, conſeqvi poſſe, prorſus negamus: Nihil enim inde evaderet qvàm* קלם, *qvemadmodum tu ipſe ſcribis, qvod non Kolam, ſed Kallam eſt legendum, & latinis eſt, facilitas vel levitas eorum. Neqve verò Doctorum qvisqvam inventus eſt, qvi unqvam aliter legerit. Siqvidem notiſſimum eſt, Kolam non aliter poſſe ſcribi, qvàm per vaf, nimirum ſic* קוֹלָם, *ſicuti in præcedenti verſu ſcribitur. Hoc nomen ſine vaf ſæpiùs*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

qvàm ſepties in univerſis Bibliis non occurrit, cum aliàs cum vaf ſæpiſſimè legatur. pag. 145: קול ſexies repetitur ut Holem ſine vaf ſcribatur Gen. 27. & 45. Exodi 4. bis, Hieremiæ 7. Reliqva omnia, qvotqvot ſunt, ſemper Cholem cum vaf conjunctum habent pag. 146. Cum hactenus probatum ſit, קול absq; vaf ſcribi non poſſe, niſi ob certas cauſas in ſex locis, qvomodo ergo ex קום conficies קולם? qvî fit, qvòd tantâ confidentiâ affirmes קלם ſignificare ſonum eorum, qvod tamen (ut tuâ veniâ dicam) eſt falſiſſimum. Enim verò fieri non poteſt, ut ex קום facias קולם niſi fortè aliunde novum vaf aſciſcas. Pag. 147: *Si ſecundum tuam opinionem & ſententiam* D. Hieronym. *& Septuaginta legerint* קלם *non* קום, *qvî fit ergo qvòd Aqvila vertit canon? Sic enim in Pſalterio Flaminii viri doctiſſimi inveni, cujus verba hæc ſunt: (Qvod verò ſubjicitur, in omnem terram exiit ſonus earum: fidelius Aqvila vertit ex Hebræo,* ὁ κανὼν αὐτῶν.) *Reputa tecum* Lindane, *an Aqvila* קום, vel קלם, aut etiam קולם legerit. Certè aliter eum legiſſe, qvàm nunc qvoq; textus Hebræus habet, mihi nunqvam perſvadebis.

Sed fortaſſe objicies, qvî fiat, qvod *Paulus Apoſtolus, Septuaginta* & *D. Hieronymus* tranſtulerint, *Sonus eorum?* Profectò hæc res, ut ingenuè fatear, me qvoq; aliqvando torſit. Sed annotatio in Pſalterium docti cujuſdam viri, & ut audio, *Vatabli Profeſſoris Pariſienſis* ex parte ſcrupulum mihi exemit, cujus hæc ſunt verba: Vel amuſſis eorum, id eſt, ſtructura eorum ad amuſſim facta, hoc eſt, in extremis qvibuſq; terræ partibus conſpicitur illa fabrica corporum cœleſtium qvaſi ad amuſſim facta, qvæ eſt vice verborum. Qvod hic dicitur de cœlis, *Paulus* ad Rom. cap. 10 accommodat Apoſtolis per allegoriam, qvi non aliter in univerſo orbe potentiam & majeſtatem Dei celebraverunt & prædicaverunt, qvàm illas accuratiſſima cælorum ſtructura eloqvitur & denunciat hominibus ubivis terrarum habitantibus.

Hæc ſententia Vatabli, etſi mihi valde arridet, tamen puto nos aliud qvoq; inveniſſe, ex qvo facilè appareat, cur illi קו *per ſonum vel vocem expreſſerint.*

Si pii & docti viri hujus Pſalmi verba conſiderabunt, & exactiùs examinabunt, in omnibus verſibus deprehendent כפל לשון במלות שונות, id eſt, *eandem ſemper rem diverſo vocabulo* repeti, qvod cum præcedente eandem ferè ſignificationem habet, ut השמים מספרים, *Cœli enarrant,*

מגיד

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

מגיד הרקיע , *Enunciant firmamentum ,* יביע אמר *Eructat ſermonem,* יחוה דעת *indicat ſcientiam, &c. Proinde cùm in omnibus verſibus ejuſdem ſententiæ, ſed diverſis verbis iteratio deprehendatur, oportet hic qvoq;* קו *aliqvam cum* מלה *cognationem habere , & contra* מלה *cum* קו. *Nam ſi hoc non eſſet, ea certè elegantia, qvæ in cæteris verſiculis omnibus cernitur, hic prætermiſſa videretur. Neceſſe igitur eſt,* קו *præter alias etiam ſignificationes notas , aliam qvoq; jam multis incognitam habere. Notum autem & vulgatum eſt,* קו *ſignificare ſpem , congregationem , normam , lineam & delineamentum , funiculum, amuſſem , vel lapidem amuſſis. Præter has , inqvam , aliam neceſſe eſt notionem habere, qvæ* קול *, id eſt, vocem, vel ſaltem* התוך דבר*, id eſt,* expreſſionem alicujus vocis habeat. *Hanc ſententiam confirmat etiam* Paraphraſis Chaldaica *in cap. 28 Eſaiæ ſuper verba* קו לקו *, ſi qvis diligentiùs perpendat.*

Videmus etiam , qvòd amuſſis , qvæ funiculo conſtat , non omnino voce careat. Siqvidem architecti & alii artifices , qvando aliqvid ſignare aut metiri volunt, dum amuſſem vel funiculum extendunt, & deinde remittunt, ſonum qvendam edere conſveverunt. Qva ex re confirmatur קו *aliam qvoqve notionem , vulgo Hebræorum haut ita notam habere , eamq; vel* קול *, vel certè* התוך קול *repræſentare, ut cognatio & affinitas inter* קו *&* מלה *conſtet. Hoc autem qvoniam paucis notum eſt , D. Apoſtolum , LXX , & D. Hieronymum aliter qvàm* קום *legiſſe,* errore qvodam *ſuſpicantur. Hæc noſtra ſententia , ſi alicui probata fuerit , eam arripere poteſt : ſin minùs , ſuum cuiqve liberum judicium permittimus, ſi modò ipſum textum violare non auſit.*

Hæc totidem verbis *Iſaacæ Levitæ Germani*, qvi in Defenſione veritatis Hebraicæ modò citatâ, oppoſitâq; *Wilhelmo Lindano*, Epiſcopo qvondam Trajectenſi complura attulit lectu & obſervatu digna, tantò prolixiùs afferenda duximus, qvantò rariùs eximium illud Apologeticum Scriptum pro veritate Hebraica ſacrorum Voluminum in publicis Muſarum tabernis proſtat, qvantóq; majorem diligentiam ipſe *Levita* e Judæo Pontificius adhibuit, ut primigenium & authenticum Codicem Eberinâ dialecto conceptum a crimine depravationis , qvam ei intentat pravum judicium , liberaret , atq; proprio integritatis nitori reſtitueret,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

& qvantò propiùs acceſſit ad verum modum conciliandi *Paulum* cum *Davide*, & deniq; qvantò audaciùs alii Scriptores vendicant ſibi labores eruditi hujus Scripti, qvibus hæ vindiciæ Iſaacianæ tanqvã propriis laudibus inde uſq; ab 1559 inclaruerunt; qvorum nomina tutiùs ac modeſtiùs ſilere volumus, qvàm cũ infamia plagii aſſignare, qvi fucus curioſo veritatis indagatori & variȩ lectionis gloriâ conſpicuo facilè pellucebit.

Verùm enim verò ut noſtram ſymbolam conciliandi Hebræum Pſaltis textum cum Paulino interpretamento conferamus: ſeqventibus ſcrutiniis nos expediamus.

PRIMUM: Initiò nuncium remittimus *Genebrardo*, qvi commentaturus in hunc Pſalmum hanc fovet ſuſpicionem, qvâ imbutus vocabulum קו Kav pro קול Kol, per Apocopen Poëticam lectum ſuſpicatur. Deinde Jacobi Gordoni arti conciliatrici juſtô duriori neutiqvã ſuffragamur. Sic enim ille ſuper v.4 & 5 hujus Pſalmi ſcribit: Septuaginta ὁ φθόγγος αὐτῶν, qvi proinde legiſſe videntur in Hebræo קולם, ubi tamen corruptè eſt קום linea vel filum; ſanè ad Rom. c. 10 habetur ſonus eorum, & refertur ad prædicationem Apoſtolorum; rectè, ſenſu ſaltem allegorico, qvippe qvi non malè, ut cœli vertuntur ſplendore ſuô Apoſtolicô. Sed labem puro fonti immeritò affictam delevit modo ſuâ ſpongiâ *Iſaacus & de Muis* Com. in Pſ: qvare hîc noſtrâ non opus eſt ope. Ad extremum nec *Gaffarello* noſtrum calculum adjicere poſſumus, cui hæc conciliandi ratio placet: Ainſi S. Paul, & les Septante, eſtant parfaictement conciliez avet l'original Hebreu, nous pouvons hardiment ſuyvre la lettre, & dire titeralement קום Kavam, linea eorum entendant des Eſtoilles qvi ſont rangeés au Ciel, comme des lettres dans un liure ou ſur un parchemin; à raiſon deqvoy l'Eſcriture dit qve Dieu eſtend les Cieux comme une peau, appellant ceſte extenſion רקיע Rachia, d'ou les Grecs auroient paraduenture tiré leur ῥακός qvi ſignifie une peau ou un cuir, eſtant le propre d'une peau d'eſtre eſtenduë. hoc eſt. Ita Sancto *Paulo* & 70 perfectè conciliatis cum Hebræo originali, ſecurè Literam ſeqvi poſſumus, & literaliter dicere Kavam, *Linea eorum*, de ſtellis in Cœlo ordinatis intelligentes, ut de literis in libro, vel pergameno; qvâ ratione Scriptura dicit Deum in modum pellis Cœlos extendere hanc extenſionem vocans, Rachia, unde fortaſſis Græci ſuum ῥακός extraxerunt cutem vel corium ſignificantem, qvod proprium pellis eſt, extendi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Modus qvidem, qvo uſus eſt *Gaffarellus* conciliaturus utrumq; Scriptorem modò nominatum, haut ineptus videtur, qvi ducitur a ſenſu ſublimi & allegorico Pauli & 72 Interpr. accommodantium hæc verba prædicationi Apoſtolorum, qvomodo & Syrus Evangelium interpretatur: ſed appendix, qvâ קו ſeu Linea ſtellis in cœlo ordinatis alligatur, illætabilis planè eſt.

SECUNDUM: Verſionem 72 Presbyterorum, qvæ tunc aut ad manus fuit, & in uſu apud Romanos, ad qvos ſcripſit, aut ſingulari Spiritus S. ἀναμνήσει *Paulo* in memoriam revocata, Apoſtolus ſeqvi penſi habuit, ne ſuccreſcentes nuper ſatæ Eccleſiæ Romanæ plantas in primo flore juſtô intempeſtiviùs enecaret.

TERTIUM: Ut autem iſta *Seniorum Verſio*, in qvâ extat, ὁ φθόγγος αὐτῶν, pro ὁ κανὼν αὐτῶν, menti ipſius Dei a qvâ profecta eſt, & rei, ad qvam exprimendam adhibetur, convenienter reſpondeat: tutum erit, abdamus nos intra *Radicale Fundamentum*, *Elementale ſeu Centrale* binarum dictionum קו & φθόγγος ſignificatum, atqve ex eo verum voces vulgò diverſi ſenſus ac uſus componendi modum venemur. Eqvidem in compluribus vocibus variarum Lingvarum nonnunqvam diliteſcere *Radicale aliqvod communiſſimæ, ſimpliciſſimæ & abſtractæ ſignificationis Centrum*, ad qvod reliqva ſignificata ceu Lineæ a circumferentia ſe facilè reduci patiuntur, nec novum nec inuſitatum eſt.

Ut enim ex unâ arboris radice omnes partes ſummæ, medioxumæ & minimæ ortum & alimentarium ſuccum trahunt, nimirum, altrix medulla, iners truncus, rudis cortex, ſurgentes rami, virides frondes, gemmantes calyces, pulcherrimi flores ac fructus, atqve ex eâ decus, robur ac duramentum conſeqvuntur: conſimili modô multiplices ſignificatorum rami de una *Radicali ac communi ſignificandi indole* originem ducunt, rurſúmqve ex iis variæ propagines ortæ latè diffunduntur in communes rerum uſus, qvarum indices hæ ſuboleſcentes voculæ exiſtunt.

Rabbini *Generale* hoc ſignificatum מַשָּׂא appellant, eò qvòd portet alias ſignificationes ceu ſarcinulas, teſte M. Samule Bohliô ז"ל b. memoriæ virô, qvi olim hoc commune ſignificatum vocavit *Formale Radicis*. Si detur *Prima* & *Communis* Forma, qvam Keckermannus nobis procu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

dit, appoſitè loqvutus eſt: ſed ſi Ariſtoteles & Peripatus audiendus erit, qvi Formæ primæ, communis & manentis στέρησιν intulit materiæ, minùs ἀκριβῶς Onomathetæ munere functus eſt Bohlius. Etenim veluti Noëma *Generis* ac *Speciei* dicendi indole variant, *Materia* & *Forma* uſu diſpares ſunt: pari ratione ſignificationes *Generales* & *Speciales*, *Materiales* & *Formales* accuratiùs loqvendi uſus diſtinxit. *Materiale* enim & *Generale* Significatum habet ſe inſtar *Rei conſideratæ* apud Philoſophos: Formalis autem & Specialis ſignificandi ratio *Modum conſiderandi* varium in vulgus Philoſophorum notum nobis repræſentat. Cui igitur volupe fuerit Generales ſignificationes appellare *Formales*, id qvod viro docto excidit, *Rem conſideratam* & *Modum conſiderandi* vix penſi habuerit.

Qvod verò ſpectat novum nomen מְשָׁא, nobis qvidem ſufficiet primùm appellâſſe שׁוֹרְשִׁית, hoc eſt, *Radicalem*. Qvemadmodum enim unum eſt שֹׁרֶשׁ, *Radix* Hebræa dictionum unica, a qva ceu matrice cæteræ voculæ naſcuntur, primáqve ortus ſui capiunt initia: ſic in una eadémqve *Radice* unicus ſæpe latet *Communis* & *Radicalis* ſenſus. Qvod ſi qvis aliam porrò deſideret nomenclaturam, haut incommodum erit appellâſſe יְסוֹדִי *Fundamentalem*. Nam ut *Fundamentum* totam diverſæ ſtructuræ molem ſuſtinet; ita *Primum* & *Commune Significatum* habet ſe inſtar *Fundamenti*, cui inædificari comparata eſt nova variarum ſignificationum acceſſio. Qvando autem vocas יְסוֹדִי *Fundamentalem* ſignificationem, non procul abes a στοιχειώδει ſeu *elementaria*. יְסוֹד enim Phyſici Hebræi adhibent non modò ad ſignificandum *Fundamentum*, ſed etiam *Elementum* & *Principium rerum naturalium*. Sic enim ſcribit Rabbi Aben Tybbon in Phyſica Hebræa, qvam inſcripſit רוּחַ הַחֵן, hoc eſt, *Spiritus gratiæ*, *& Joannes Iſaacus Levita*, Germanus primùm edidit Coloniæ Anno 1555: וזה המין גם כן יחלק לשני מינין: מהם גשמיים פשוטים כמו ארבע יסודות וג׳ ואין הדומם כח מוסית על כל אחד ואחד מארבע יסודות אלא הערוב שנתערבו בו כל ארבע יסודות והפסיד כל אחד ואחד צורתו ושבו עצם אחד:

וכל

וְכָל אֶחָד מֵהָאַרְבַּע יְסוֹדוֹת תּוּכַל לִקְרוֹא דוֹמֵם: Qvæ verba *R. Aben Tybbon* hac qvondam latinitate donavimus & typîs excudenda curavimus: *Cæterùm, hæc itidem in duo ſubdividitur ſpecialia membra: qvorũ qvædam* Simplicia *ſunt corpora, ut qvatuor* Elementa &c. *Nam nulla* Qvieſcentibus *vis ineſt augeſcendi ex ſingulis* Elementis, *niſi confuſanea mixtura, qvâ qvatuor* Elementa *in iis miſta reperiuntur, qvorum unum qvodqve* Formam *ſuam amittens ſingulare conſtituit corpus. Imò ſingula* Elementa *vocare poſſis* Qvieſcentia. Hæc σκέψις fuit ὀνοματώδης, ſeqvitur πραγματώδης, qvam paucîs QVINTI MOMENTI verbìs ſic complectemur:

Qvintum Momentum.

Radicale & commune binarum vocum קו & Φθόγγος ſignificatum eſto: Canonicus & Gnomonicus rei ductus ab uno extremo in aliud.

Etenim *Primò*, in hoc velut communi centro concurrunt hæc duo, *Canon* & *Sonus*, qvòd, veluti *Canon* ab uno *Subjecto* in Objectum facilè ac regulariter extenditur qvomodo *Munſtero* & *Bibl. Angl. directio* exponitur: ſimili modô *Sonus* ab uno Subjecto facili atq; regulari meatu in aliud tranſit.

Secundò, ut *Regula* ſeqvitur rectam lineam ſui ductus ab uno in aliud, qvâ ratione Targ. *extenſio funiculi, Angl. Linea, Hiſp. & Cajetano filum* redditur: ſic *Sonus* rectà tendit e percuſſis corporibus ſolidis per medium ſonabile aëra ad bipatentia oſtiola aurium, qvarum anterioribus anfractibus moderatus, exceptus & motus ab incluſo aëre movet oſſicula, ut tympanum percutiant ſonúmq; efficiant, delatum per cochleam ad nervos acroamaticos & ab his rurſus ad cerebrum, tandem ſenſui communi judicandus ſiſtitur.

Tertiò, velut קַו ſeu *Amuſſis* eſt gnomon ſeu index qvidam rerum menſurandarum: ſic Φθόγγος eſt gnomonicum indicium νοημάτων & per illum rerum in dicentis animo latentium; qvô etiam nomine *Bucerus* קַו interpretatur *indicium*.

Qvartò qvemadmodum קַו ſeu *Perpendiculum* ab uno *primo* puncto ordine procedit ad ultimum & in idem deſinit: ſic *Sonus* ſucceſſivâ promotus ſerie a *Puncto* certo qvodam, & ſingulari extremo, qvod digitô monſtrari

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſtrari poteſt, & dicier hoc eſt, & in aliud certum ac δεικτικὸν *Punctum* terminatur.

Qvintò qvemadmodum *Linea* contortula ſeu *Funiculus* contortuplicatus, qvi adhibetur metiendis rebus unô momento neqvit e glomeratis plicis ſuis enodari, ſed opus eſt morâ & revolubili ſingularum partium qvodam ſucceſſu, anteqvam linearis glomus totus qveat exſolvi: pari morâ opus eſt ſonis tranſeuntibus nunc per liberum aërem, nunc per valles & montes, nunc deniq; per templorum fornices, περιστύλια & alia intermedia objectacula nunc remorantia, nunc duplicantia, nunc triplicantia ſonos priusqvam finiantur, qvibus nunqvam ſua deeſt echo ſive percepta auribus ſive impercepta ob ſui debilitatem & medii tortuoſi defectum.

Hæc centralis ſignificationis qvintuplex convenientia pari facilitate intercedit cœlo ejusq; luci cum Evangelio, ejus miniſterio, atq; Regno cœlorum, cui pii ac verè Chriſtiani homines cuncta cogitata, dicta & facta in omni vitæ gradu ac munere & ſerere & metere debent.

Ut enim *Primò Linearis* Regula rectà ducitur ab uno per medium menſurandum in aliud ceu terminum menſionis, & ut *Sonus* a *ſonante* editus varia loca permeat, anteqvam deſinat: ſic a Deo vocibus Apoſtolorum & Diſcipulorum editum ſalutaris Evangelii præconium per omnes orbis fines & extremitates dimanavit Pſal. 19, 5. Eloqvia enim Dei ſunt inſtar pernicium alarum, qvibus ſubvectus theſaurus ſalutiferæ ſcientiæ cum lucro animarum noſtrarum ex Zione ſeu Hieruſolyma ceu carcere penetrat ſe ad ultimas τῆς οἰκουμένης oras tanqvam metam & calcem curſus ut diviniſſimi ita ſalute abundantiſſimi. Nam S. S. E. (ſic ſcriptum eſt) Eſa. 2, 3, & Mich. 4, 2: *De Sion egredietur* Lex *& Verbum Domini de Jeruſalem.* Luc. 24. v. 46, 47: *Sic oportet pati Chriſtum, & reſurgere a mortuis tertiâ die & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes*, factô initiô (qvàm commodiſſimè) ab Hieruſolymis.

Etenim Hieruſolymitanum terræ ſitum ſi contendas cum reliqvis orbis plagis, inſtar umbilici cluit urbs illa atq; velut centrum qvoddam totius Palæſtinæ, latera ejus latiora ſi ſpectes: e qvo in omnes mundi partes huic *Evangelio Canoni* aut ſono facilis patuit tranſitus, & ad qvod Judææ centrum ἄνδρες εὐλαβεῖς ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τῶν οὐρανῶν confluxiſſe memorantur Act. 2, 5, 8 ſeq: idq; convenienter vaticinio Prophetico

Eſa,

Eſa. 43, 5: *Ne timeas, qvia ego tecum ſum: ab Oriente adducam ſemen tuum & ab Occidente congregabo te. 6. Dicam Aqviloni, da: & Auſtro, ne prohibeas: adducito filios meos de longinqvo & filias meas ab extremo terræ. 7. Omnis qvi vocatur de nomine meo & ad gloriam meam creavi eum, formavi eum, etiam feci eum. 9. Omnes gentes congregentur ſimul & colligantur in populos &c.*

Ne verò qviſqvam ogganiat regerens hunc congregabilium gentium confluxum fore infructuoſam qvandan variorũ hominum concurſationem: audiat qvid proclamet *Spiritus Dei* ore ejuſdem Prophetę *Eſaiæ* uſus:

פְּנוּ־ אֵלַי וְהִוָּשְׁעוּ כָּל־ אַפְסֵי־ אָרֶץ

Convertite ad me vultus (72 ἐπιστράφητε ἐπ' ἐμὲ) *& ſalvi eritis* omnes *fines terræ. Qvia ego Deus & non alius.* Matth. 11, 28: *Venite ad me* omnes, *qvi onerati eſtis.* Tanta ſalutis omnibus terræ finibus oblatæ amplitudo non ad bonos ac obedientes ſolùm diffundetur, ſed etiam *ad populum* סורר *refractarium* (72 ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα) *Jehova totum diem ſuas manus expandit, qvi gradiuntur per viam haut bonam juxta ſuas cogitationes.* 72: ὀπίσω τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Prov. 1, 24: *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qvi animum adverteret.* Penes hos refractarios, ſalutis palmîs יְיָ tensîs oblatæ incurioſos ac pertinaces peccatores culpa eſto, ſi votîs æterni regni ac gaudii excidant, non penes Deum ſuas manus auxiliatrices exporrigentem, non penes Chriſtum, qvi inſtar Gallinæ glocitantis ac paſsis alîs tegere & fovere parantis pullos ſuos, etiam eos, qvi Prophetas ad ſe miſſos occiderant, & lapidibus obruerant miſſos a Deo æternæ ſalutis legatos, ad ſe adducere & in ſocietatem regni cœlorum tantò deſideriô flagravit, ſed illi planè recusârunt Matth. 22. v. 37.

Deinde ſicut *perpendiculum* e ſuperioribus rectè conſtruendarum ædium partibus rectà demiſſum æqvô ponderis libramentô efficit, ut cunctis ſua integritas & pulchritudo conſtet, ne qvid tortuoſum aut inordinatum ſtructura patiatur; imò ut *Sonus* e colliſis corporibus, organis pneumaticis, aliíſve ſonabilibus ſolidis emiſſus pernici ac ultroneô motu fertur ad aures, eas variè afficit, demulcet, movet, atqve in animis hominum varios motus excitat, id qvod *Sauli* accidiſſe memoratur 1 Sam. 17, v. 14, 15, 16 ſeq. qvi turbatus malô geniô non modò levamen ſentiit e Davidicæ citharæ ſvavi modulamine ibid. v. 23, ſed fidibus canente *Davide* etiam vexatio mali Spiritus ceſſavit; Sic *Evangelii* & *Verbi* divini

ſonus ab ore Virorum Dei profectus non modò ad aurium bipatentes fores rectà tendit, ſed & easdem ſvaviter afficit, qvomodo Herodes ἡδέως cum ſvavitate & lubentia qvadam olim audiebat Johannem concionantem Marc. 6, v. 21: imò vivus Dei ſermo valde efficax eſt & qvavis ancipiti (διστόμῳ) machærâ penetrantior, pertingens uſq; ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagum qvoq; & medullarum, & κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας, Criſin exercens in cogitata & diſcurſus cordis Hebr. 4. v. 12.

Tertiò non ſecus ac amuſſis rerum menſurandarum certum ſignum exiſtit, & ὁ φθόγγος indicium eſt noematum & idearum, qvæ in mente artificis præextiterunt anteqvam manus operi fuit admota: ſic doctrinæ Evangelicæ ſonus hanc propriam laudem ſibi vendicat, ut λόγον εὔσημον (bene ſignificantem) inſonet auditorum auribus & animis 1 Cor. 14. v. 9.

Qvartò, ut Regula εὐταξίας causâ non unô momentô adhibetur fabricis rebuſq; omnibus metiendis, ſed nunc uni mox alteri parti εὐκαίρως καὶ εὐτάκτως inſerendæ atq; combinandæ applicatur: pari modô vox humana ſua agnoſcit ordinaria organa, prima, media, ultima, ac proinde ſuis conſtat articulis, qvos ori vel indita vel addita inſtrumenta conficiunt, teſte diſertiſſimô juxta ac doctiſſimô Romuli nepotum *Cicerone* Lib. 2 de Natura Deorum pag. 239 edit. Pariſ. Carol. Steph. 1554: *Ad uſum*, inqvit, *orationis incredibile eſt, niſi diligenter attenderis, qvantâ operâ machinata natura ſit. Primum enim a pulmonibus arteria uſqve ad os intimum pertinet: per qvam vox principium a mente ducens, percipitur & funditur. Deinde in ore ſita lingva eſt finita dentibus. Ea vocem immoderatè profuſam fingit & terminat: qvæ ſonos vocis diſtinctos & preſſos efficit, cùm & ad dentes & ad alias partes pellit oris. Itaqve plectri ſimilem lingvam noſtri ſolent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qvi ad nervos reſonent in cantibus.* Et ibidem mox addit: *Hâc cohortamur, hâc perſvademus, hâc conſolamur afflictos, hâc deducimus perterritos a timore, hâc geſtientes comprimimus, hâc cupiditates iracundiaſq; reſtinximus: hæc nos juris, legum, urbium ſocietate devinxit, hæc a vita immani & fera ſegregavit.*

Canonicus iſte ſonus, qvô ſonante & percrebreſcente ipſa SALUS ſalit, Cœlum tripudiat, orcus tremit, nec unius temporis eſt, neqve unius ore proditus. Prima hujus vocis *Linea* hæc fuit, qvam os Jehovah eloqvutus eſt Gen. 3. v. 15:

הוא יְשׁוּפְךָ ראש

Hoc

Hoc ipſum conteret tibi caput.

Qvô ſonô protevangelicô Prima mater

——— *ibat ovans & ſpe ſuâ damna levabat,*

natóqve Caino, exclamabat:

קָנִיתִי אִישׁ אֶת יְיָ

Conſeqvuta ſum virum ipſum Jehovah.

Continuârunt ac teſtimoniis ſuis confirmârunt hunc ſuaviſſimum fidei ac promiſſi Evangelici ſonum *Presbyteri* antediluviani, teſte *Paulo* Hebr. 11, v. 2.

Hâc fide in Meſſiam, mundi הַגֹּאֵל ac redemptorem, hôc ſonô fidei nunciô ſalutíſqve arrhabone confirmatus *Abel* pleniùs qvàm *Cainus* ſacrificium Deo obtulit, ibid. v. 4.

Hâc erectus *Henochus* vir pientiſſimus, ante mortem mortalitate donatur, cœlóqve infertur vivus. ibid. v. 5.

Hic ſonus, hæc fides, hæc juſtitia utriuſqve mundi incolam *Noachum* præconem nacta eſt 2 Petr. 2. v. 5: qvô χρηματισθεὶς & paravit arcam in ſalutem domus ſuæ, & damnavit mundum, & deniqve juſtitiæ, qvæ per fidem eſt, hæreditatem adiit Hebr. 11. v. 7.

Divinæ voci obediens *Abraham* Geneſ. 12. v. 1, 2 patriâ egreſſus in terram promiſſionis ceu alienam fortunarum ſedes tranſtulit, *& in tabernaculis cum cohæredibus promiſſionis Iſaac & Jacob habitavit, civitatem exſpectans, qvæ habet fundamenta, cujus artifex & conditor Deus.* ibid. v. 8, 9.

Inſonuit auribus *Saræ* ſenio confectæ verbum Jehovah: *Certiſſimè revertar ad te* כָּעֵת חַיָּה *ſecundum vitæ tempus, & erit filius Saræ tuæ* Gen. 18. v. 9, 14. Qvô factum eſt, *ut Sara, licet ſterilis fuerit ac decrepita; tamen fide conſeqvuta ſit virtutem concipiendi, ut præter ætatis rationem pepererit, fidelem judicans promittentem, & ſic ab uno mortuo orti ſint* (Hebræi) *tanqvam ſidera in cœlo multi, & ſicut arenæ ad littora maris immumerabiles* ibid. v. 11, 12, 13.

Idem eſto judicium de *Jacob, Joſepho, Moſe*, ibid. v. 20, 22, 23, aliiſq; Patriarchis & Prophetis ad qvos ſermo Dei factus diverſis temporibus. Nam πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως loqvutus eſt Deus Patribus & Prophetis in tempore V. Teſtamenti, poſtremis autem temporibus, qvæ διορθώσεως ſunt propria Hebr. 9, 10, loqvutus eſt nobis per filium Hebr. 1, v. 1, 2.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Et verbum Domini, qvod manet in æternum Eſa. 40, 8, hoc eſt verbum, qvod Evangelizatum eſt 1 Petr. 1, v. 25: ſeu ut ſcribit b. m. vir, D. Joh. Pauli Reſenius Diſp. profundæ eruditionis Theologicæ ferace, habitâ Anno 1630, 21 & 24 Decembris: *Verbum ſeu Evangelium æternum etiam ad* ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, *ſenſim tamen revelati per Scripturas Prophetarum, ſecundum conſtitutionem ipſius æterni Dei in obedientiam fidei in omnes Gentes, (tandem qvoq;) manifeſtati* Rom. 16, 25, 26. *Neqve enim tunc cœpit primùm Evangelium ejusmodi* (verba ſunt Reſenii) *qvod ipſum erat potiùs adeo æternum; & ſic tantò etiam ante illum angelum, qvi deſcendit de cœlo cum illo tali, qvod evangelizaret ita ociùs ſimul habitantibus ſuper terram, & omni nationi & tribui & lingvæ & populo: qvò juxta vocem ejusmodi tam claram ac ſonoram timerent verum Deum & darent illi gloriam: qvoniam venit hora juſta certi judicii ejus: qvem ita adorarent, ut ipſum factorem univerſorum &c. ſicut hoc qvoq; eſt Apoc.* 14, 6, 7.

Qvâ autem ratione ſenſim, uti notat Reſenius, Evangeliũ ſit ita revelatũ, ut tam diſſitis nationibus orbis innotuerit: monſtrat initiò Liber totus Actuum Apoſtolicorũ, & dein ipſa docendi & diſcendi Chriſtiana ratio.

Nam Apoſtoli & Diſcipuli ſuſcipientes iter ad docendas omnes gentes, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. ut locum mutare neceſſe habuerunt: ita ipſa doctrina cum itineris progreſſu nunc in hoc nunc in illo loco admirabilem ſucceſſum habuit & qvotidiè magna incrementa cepit. Qvoniam verò ſeqventi membrô de hoc ſucceſſivô ſoni Evangelici motu acturi ſumus, plurium heic deſinimus.

Qvintò, Architecti involutum lineare ſuum perpendiculum ſenſim evolvunt ex involucris, evolutum tamdiu verſant & applicant, donec filum δεικτικῶς ſignaverit gnomonem, qvi porrò obliqvitatem operis monſtrans occaſionem præbet architectoni eam emendandi ac de rectitudine fabricæ invenienda ſuſcipere cogitationem. Sonus auditui deſerviturus neutiqvam abſolvit munus impulsâ primâ vicináve aëris parte, ſed ulteriori ſuccedentium aëriarum partium impulſu opus erit, anteqvam a vacivis auribus percipi poſſit. Ut autem modus iſte, qvô peragitur auditio, meliùs intelligatur, qvippe qvem diſputandi cacoethes dubiorum qvorundam tricis implicuit: obſervandum eſt, qvòd Auditionis ordo talis ſit. Duo ſolida corpora invicem colliſa intermedium aërem compellendo pulſant & diffindunt, qvi diffiſſus edit ſonum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

num, ſonus verò cum qvodam impulſu diffundi cœptus afficit proximam circumſtantis aëris partem, qvæ immiſſum ſonum recipiens rurſum vicinam aëris partem impellit, illámq; ſonô imbuit, & ſic deinceps donec per aërem tanqvam διηχὲς medium ad ipſum auditus organum ventum fuerit. Hunc ſonum vernaculus aër ſtatim excipit & in nervum auditorium trajicit, qvi ſonorum omnium modulos ad ſenſum communem tanqvam judicem atq; cenſorem vehit. Has promotorum ſonorum vices ab Echus jucunda reciprocatione faciliùs obſervabis. Plinius l. 36, c. 15: *In eadem urbe juxta portam, qvæ Thracia vocatur, turres VII acceptas voces numeroſiore repercuſſu multiplicant: nomenq; huic miraculo Echo eſt a Græcis datum. Et hoc qvidem naturâ locorum evenit, & plerumq; convallium: ibi caſu accidit: Olympiæ autem arte, mirabili modo, in portu qvam ob id heptaphonon appellant, qvoniam ſepties eadem vox redditur.*

Applicaturi, א״ח, noſtrum *Canona perpendicularem* Evangelici ſoni, ejúsqve revolubiles vices & ſeries oſtenſuri: ſeqvemur κατὰ πόδα veſtigia diviniſſimi Prophetæ & Regis Davidis, qvæ nobis Pſal. 18. v. 5, 6, 7, 8, ſeqv. reliqvit: v. 5. Verba Davidis ſic ſonant: *In omnem terram exiit linea eorum, & in extrema orbis eloqvia eorum. Soli poſuit tabernaculum in ipſis. Et ipſe tanqvam Sponſus egrediens de thalamo ſuo, gaudet ut potens ad currendam viam. Ab extremo cœlorum egreſſio ejus, & revolutio ejus uſqve ad extrema eorum: & non eſt qvi abſcondat ſe a calore ejus. Lex JEHOVAH perfecta convertens animam; teſtimonium JEHOVAH fidele, ſapientem efficiens parvulum. Præcepta JEHOVAH recta, lætificantia cor: præceptum JEHOVAH purum, illuminans oculos. Timor JEHOVÆ mundus permanens in ſæculum: judicia JEHOVAH veritas, juſtificata ſunt pariter. Deſiderabilia magis qvàm aurum multum, & dulciora melle & ſtillatione favorum.*

Veluti modò oſtendimus e Cap. II Paulinæ Epiſtolæ ad Hebræos, qvâ promptitudine & conſtantiâ priſci mundi religioſi Heroes ante & poſt diluvium exceperint extentũ cœleſtis veritatis *Canonem*, atq; Evangelicę fidei *Sonum*: pari nunc curâ & induſtriâ conabimur efficere, ut conſtet, qvâ promptitudine, qvô fervore, conſtanti animi propoſitô contra qvásvis Satanæ artes & aſtus, immundi mundi illecebras; & exterioris hominis horaria objectacula traditum e cœleſti Sponſo *Canonem Evangelicum* & ſalutaris fidei penetrantiſſimum φθόγγον diffuderint Apoſtoli, & per totum terrarum orbem diditum auditores conſervârint & uſurpârint.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Id qvod tantò faciliùs nos expedituros ſperamus, qvantò preſſiùs ſeqvamur *Sponſum Cœleſtem*, qvi de thalamo egreſſus inſtar gigantis pulverem Olympicum collecturi, vel curriculum pro præmio & gloria confecturi, nobis viam & pedetentim præmonſtravit & ante nos calcavit.

Principiò autem attendendum erit, qvid velit ſibi nomen חֻפָּה e qvo egreſſus perhibetur *Cœli Choragus* ſive Sponſus Naturæ Titan.

Adi & audi *Eliam Levitam Germanum*, ejúſqve opus qvod inſcribitur תשבי Thiſpites; mox qvod qværis, inventu haut erit tibi difficile. Sic enim ſonant verba *Eliæ* pag. 119. edit. Iſnæ in Algavia Anno 1541:

חֻפָּה חֻפַּת חֲתָנִים פֵּירַשׁ הרד״ק מְקוֹם הַסְתָּרַת הַכַּלָּה עִם הֶחָתָן נִקְרָא חֻפָּה וַאֲנַחְנוּ קוֹרְאִים הַבֶּגֶד שֶׁפּוֹרְשִׂין עַל רֹאשׁ הֶחָתָן וְהַכַּלָּה בְּאַרְבַּע בַּדִּים בְּשַׁעַת הַקִּדּוּשִׁין חֻפָּה מִלְּשׁוֹן הַמִּקְרָא כִּי עַל כָּל כָּבוֹד חֻפָּה וְכֵן בְּחָתָן יוֹצֵא מֵחֻפָּתוֹ וְהֵם לְשׁוֹן כִּסּוּי כְּמוֹ חוֹפֵף עָלָיו כָּל הַיּוֹם ובלעז באלדאקינו וּבִלְשׁוֹן אשכנז הימל

Qvæ ſic vertit Paulus Fagius: CHAPHA, *Thalamus nuptialis. R. David Kimchi dicit, qvòd locus, ubi abdit ſe ſponſus cum ſponſa,* חופה *vocetur. Nos verò Judæi veſtem illam, qvam extendunt ſuper caput ſponſi & ſponſæ, qvæqve tenetur qvatuor vectibus ea hora, qva fit deſponſatio* חופה *vocamus. Qvo ſchemate & ſcriptura utitur. ut, Eſa. 4: Qvoniam erit ſuper omnem gloriam protectio. Item Pſal. 19: ipſe autem tanqvam ſponſus egreditur de thalamo ſuo. Significat autem propriè hæc vox operimentum.* ut Deut. 33: *Teget ſuper eum totâ die. Ital. baldekino, germ. himel.*

Qvo præmiſsô ceu præcognitô hæc deinceps noſtris oculis & animis porrò contemplanda proponit Pſaltes. Prout ex *Cœlorum Soliſq;* motu atqve efficientia aliqvalis DEI cognitio & inveſtigari & haberi potuit: conſimili ratione viam cognoſcendi Dei multò ſublimiorem oſtendere aggreditur v. 8, ſeqv. qvando L*egem divinam* indigitat. Perinde ac ſi diceret: Qvemadmodum cœli & ſol ipſe ſtati teſtes ſunt DEI gloriæ & ſapientiæ; ita ejuſdem Dei ac Domini noſtri Lex manifeſtum teſtimonium eſt ſapientiæ & voluntatis divinæ; id adeo qvidem, ut meritò qvondam proclamârit Moſes Deut. 4, v. 8, qvotqvot Dei Leges audirent,

rent, dicturos: *Qvæ eſt alia gens ſic inclita, qvæ habeat ſtatuta & judicia Dei, ſicut eſt* (Lex Dei) *iſta?*

In primis verò noſtris cordibus inſcribendus erit ὁ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, qvi nos a lege peccati & mortis vindicat, qvo de gentium Apoſtolus Paulus Rom. 7, 2, hoc nomine a Jacobo Epiſtol. Cap. I. v. 25 appellatus νόμος τέλειος ὁ τῆς ἐλευθερίας.

Hæc Lex, hæc Evangelica amuſſis ab ipſo Sponſo non minùs vetera qvàm nova proferente Matth. 9, v. 15, 16, 17 promulgata, non ſine benigniore oneris ἐλαφροῦ jugo Matth. 11, v. 10: imò pro captu diſcentium & excipientium inculcata Joh. 16, v. 12; qvæ nec potuit nec debuit unô momentô cum univerſa ſua διορθώσει proponi. Proinde, haut mirum aut novum cuiqvam accidere debet, ſi Lex ita Spiritu & vitâ animata ſuas certas habeat vices, ſuósq; progreſſus ſancta fides ac eruditio admittat: non ſecùs ac *Linea perpendicularis* & emiſſus *Sonus* ſuas qvoqve admittunt partium & mediorum progreſſiones.

Qvemadmodum *Eſaias Propheta* populum planè enormibus vitiis fœdatum ceu infantem recèns ablactatum ſenſim ad pietatis & virtutis ſemina recipienda formare qvondam ſtuduit cap. 28, v. 9, 10, 11, 12, 13. Qvod ſuum ſtudium & incredibilem curam Zelotes Propheta his verbîs complecti voluit: *Qvam docebit ultrà Propheta ſcientiam, & qvem intelligere faciet, qvod audivit? ſunt ut pueri ablactati a lacte, avulſi ab uberibus. Nam ut pueris datur eis* צַו לָצָו צַו לָצָו קַו לָקָו קַו לָקָו *præceptum poſt præceptum, præceptum poſt præceptum: linea poſt lineam, linea poſt lineam*, parum ibi, parum ibi. Qvia balbutientibus labiis, & lingvâ alterâ loqvetur Propheta *ad populum iſtum. Ad qvos dixit Propheta: Hæc reqvies eſt, reqviem præſtate laſſo, & hæc reqvies: & noluerunt audire. Et erit eis verbum* JEHOVÆ, *præceptum poſt præceptum, præceptum poſt præceptum, linea poſt lineam, linea poſt lineam: parum ibi, parum ibi &c.* Hi morum corruptorum & corrigendorum gradus infimis ſubſelliis adhæreſcentes: nec aliam ſeriem, qvam qvæ gradus admiſit, doctrinæ Apoſtolicæ *Regula* docuit.

Eqvidem *Canon Religionis* primùm plantatæ ſimiles qvondam moras habuit, Linea canonicæ doctrinæ, qvæ ſecundum pietatem fuit, paulatim evolvi & εὐκαίρως excipi avebat. Qvô factum arbitramur, ut divinus gentium Doctor & Apoſtolus *Paulus* initiò lacte Eccleſiam alendam judicaverit, ſicut inſtituti ſui rationem, & methodi cum magiſtris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

immaturis & iis qvi ταῖς ἀκοαῖς νωθροὶ facti ſunt obſervandę modum luculenter nobis expoſuit Epiſt. ad Hebr. c.5, v.12,13,14: *Opus habetis, inqvit* Apoſtolus, *ut tradamus vobis elementa qvædam initii eloqviorum Dei, & facti eſtis ii, qvibus opus eſt lacte & non ſolido cibo. Qvisqvis enim lactis eſt particeps, rudis eſt verbi juſtitiæ, infans enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, utpote qvi propter habitum ſenſus habent exercitatos, ad diſcretionem boniq; & mali.*

Etenim ἀνὴρ ὁ τέλειος ad qvem nos remittit *Paulus* Eph. 4, 13, & ad cujus μέτρον τῆς ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ omni niſu & ope contendendum nobis erit, non eſt aut unius diei ephemeron, aut unius roridæ noctis fungus. *Ut non ampliùs pueri ſimus, & fluctuantes qvovis doctrinæ ventulô agitati juxta aleatoriam hominum neqvitiam & ſeductricem ac inſidiarum latentium plenam methodum* Epheſ. 4. v.14: eſt, ut Apoſtolorum, Prophetarum, Evangeliſtarum, Paſtorum & Doctorum voces Evangelicas & regulas Pietatis, qvas verbo Dei convenienter & ſonant & præſcribunt, audiamus, & ad easdem vitam conformemus. Sic eadem nobis continget felicitas, qvâ alii fideles gaviſi ſunt. S. S.E. Rom.1.v.14: Juſtitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem, ſc. incipiente, imperfectioríqve in conſummatiorem. Textus Epiſtolarum Paulinarum editus Roëskildiæ 1534 fol. ex Eraſmica Verſione has margini annectit notas: *Ex fide in fidem, hoc eſt, ex fide promittentis Dei in fidem hominis credentis, vel ex fide Judæi in fidem gentilis, ſive ex fide Veteris in fidem N. Teſtamenti, ſive ex fide Legis in fidem Chriſti, ſive ex fide verborum in fidem rerum, aut ex fide prædicantium in fidem credentium.*

Sapienter, piè, noſtroq; inſtituto convenienter ſcripſit divinus gentium Doctor *Paulus* Epheſ. 4. v.7, ſeq: Ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ &c. Καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν, ἀποστόλους, τοὺς δὲ, προφήτας, τοὺς δὲ, εὐαγγελιστὰς, τοὺς δὲ, ποιμένας καὶ διδασκάλους, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. Qvid autem Paulus indigitet nomine *menſuræ* donorum Chriſti, ſecundum qvam in unitatem fidei & cognitionis filii Dei aliqvando Servatori noſtro obviam procedemus, & in perfectam ſtaturam plenitudinis Chriſti olim grandeſcemus, non diſſimulat Apoſtolus qvando Rom. 12. v. 6. tradit habe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

re nos dona ſecundum gratiam nobis datam differentia, ſive Prophetiam ſecundum *proportionem* (ἀναλογίαν) *Fidei.*

Certam enim *Analogiam*, proportionem & menſuram non tantùm fidei, verùm etiam aliorum Chariſmatum ſuis miniſtris Deus admetitur, ſuam cuiq; gratiæ ac ſalutaris ſcientiæ ἐπιχορηγίαν concedit, ſuum cuiqve τῆς δωρεᾶς μέτρον per eundem Spiritum diſtribuit, qvo ſinguli contenti erunt. Neqve ultra datam revelatæ cognitionis menſuram aut ſupra analogicum & Apoſtolicum τὸ σωφρονεῖν, ἄμετρον ἢ ἄγραφον qvoddam vani ſui ingenii nimiæ ſæpe curioſitati indulgentis ὑπερφρονεῖν cum Scripturæ neglectu & aliorum contemptu præſumptuoſiùs ſibi arrogabunt, qvem temerarium auſum cuivis ſacrarum Literarum interpreti ſeriò interdixit Apoſtolus allegatæ modò Epiſtolæ ad Romanos capite 12, v. 3, nec non 1 Cor. 12, 4, ſeq.

Ceterùm, qvoniam hanc menſuram ſpiritualium Chariſmatum ἀναλόγως donatam ac diſtributam qvibuslibet vocatis ſervis Luc. 16, 13, Matth. 25, 15, ſeqv. ſed a domeſticis Dei ac ſympolitis Sanctorum fideiqve Eph. 2, 19, Gal. 6, 10, percupido ac fideli pectore acceptatam ac fructuoſè uſurpatam ipſa Sapientia Luc. 7, 35, parabolico paradigmate talenti unius vel plurium, pro modo, capacitate & facultate ſuſcipientis traditorum Dominus fœnori locavit: noſtrarum partium erit, haut defodere humi indulta aut naturæ aut divinæ gratiæ talenta, ſed omni ope conari, ut illa pio ſollicitoq; fœnore, qvod imperatum cujusq; fidelis (damnas ſit ἀχρεῖος Matth. 25, 30) ſervi opus jure dixeris, aucta Domino ac Deo noſtro tantorum bonorum perbenigno datori rationem nobiſcum inituro adprobemus. In primis autem moniti Apoſtolici haut immemores nos eſſe oportet, cujus emphatica, cedro imò æterna tenacis pectoris cuſtodiâ digna oratio perſcripta legitur 2 Cor. 10, v. 12, 13, 14, 15: *Nos enim non audemus accenſere aut conferre nosmetipſos cum qvibusdam, qvi ſeipſos commendant: nam ipſi ſe metientes ſemetipſis, & conferentes ſe cum ſemetipſis, non intelligunt (ſeipſos:) nos autem de iis, qvæ menſurâ carent, non gloriamur, ſed ſecundum menſuram canonis, qvam partitus eſt nobis Deus, etiam menſura uſq; ad nos pertigit. Non enim qvaſi nos pervenimus ad vos, nosmetipſos extendimus ſupra modum: nam etiam ad vos usq; per Evangelium Chriſti pervenimus. Neutiqvam* εἰς τὰ ἄμετρα *glariamur de alienis laboribus: ſed ſpem concipimus ex incremento fidei veſtræ abundè grandeſcentis ſecundum noſtrum canonem.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Exſulent ergo a cujusvis Chriſtiani ſtudiis ἄμετρα illa & extra orbitam Scripturarum evagata ſcrutinia, tanqvam indultæ fidei menſuram excedentia. Ut enim in cunctis rebus modum obſervare tenemur, ita in proponendis fidei dogmatibus & in dubiis Qvæſitis ſolvendis neceſſe eſt, ut intra præſcriptam regulam aſſignatamqve donorum menſuram modeſtè nos contineamus, qvemadmodum iſta OLIVA SACRÆ PACIS repurgata Hafniæ Anno 1655 edita, & hoc anno 1657 denuò recuſa latiùs pandit. Hâc χαρισμάτων ſpiritualium æqvali proportione contenti, ſi nos intra circum revelati verbi cohibeamus, vaníq; intellectus noſtri νοήματα καὶ ὑψώματα in ſcientiam Dei protervô faſtu inſurgentia ſub jugum obedientiæ Chriſti ac fidei mittamus: neutiqvam licet ambigere, qvin deſinente cæcæ hujus mortalitatis caligine perfectæ cognitionis Chriſti luce perfuſi æternùm illuſtremur. Lux enim illuceſcet, qvâ abrogatæ imperfectæ, illi puerili 1 Cor. 3, 1, ſucceſſivæ Act. 18, 25, 26, ænigmaticæ & partiali cognitioni conſummatiſſima ſcientia ſubſtituetur, & in locum diſcurſus infantilis acqviſitu difficilis & obſcurioris ſuccedet ſcientia pluſqvam viro digna, ſicut omnibus, qvi in hac vita religioſis meditationibus vacare non deſinunt, certiſſimè promittit oraculum Apoſtolicum ſolatiô pleniſſimum, 1 Cor. 13, v. 9, 10, 11, 12 his verbis melle & favô ſvavioribus perſcriptum: *Ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus; ubi autem venerit perfectum, tunc qvod ex parte eſt abrogabitur. Cum infans eſſem, ut infans loqvebar, ut infans ſapiebam, ut infans ratiocinabar. Qvum autem factus ſim vir, abrogavi ea qvæ ſunt infantis.* Βλέπομεν γὰρ, ſicut pertexit Apoſtolus, *ἄρτι δι᾽ ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην.*

Ut a in hujus felicitatis participationem poſſimus admitti, reqviritur ut primò in hac vita præviâ qvâdam διατάξει nobis aditum qvendam ad dictæ felicitatis faſtigium præparemus. Qvod tum demum dabimus expeditum, ubi gloriam Domini apertâ facie contemplati noſtras mentes qvotidiano ſed ſucceſſivo hujus gloriæ intuitu & conformemus & confirmemus, inſtitutionem Pauli harum rerum experti fideliter ſeqvuti 1 Cor. 3, v. 18 hîs verbîs perſcriptam: *Ἡμεῖς δὲ ἀποκεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν τοῦ Κυρίου κατοπτριζόμενοι τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δοξαν, καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Sextum Momentum.

QVi viſi ſunt STYLI inter reliqvos Apoſtolos, Jacobus, Cephas & Joannes Gal. 2, 9, ſuam qvisqve doctrinæ Lineam convenienter expreſſo Servatoris Chriſti mandato Matth. 28, 19 extendere allaboravit, ut complures Chriſto & cœlo animas ſic lucraretur.

Jacobus Major filius Zebedæi, cognominatus *Boanerges*, ſive filius tonitru Marc. 3, 17, αὐτόπτης admirator metamorphoſeos illuſtriſſimæ in monte Thabor Matth. 17, 1, 2. ſeq. Judex ſummæ controverſiæ de circumciſione proſelytorum gentilium Act. 15, v. 19 Evangelii ſalutiferum ſonum inſtar tonitru auribus recutitorum inſonuit, potiſſimùm Hieruſolymis, ubi majorem vitæ ſuæ partem egiſſe fertur, prout conventum fuerat inter columnas recèns ſtructæ domus Dei, *Jacobum*, *Petrum & Johannem*, nec non *Paulum & Barnabam*, qvibus illi manum communionis porrexerant, ut hi gentes Evangelicæ veritatis dulci ſonô permulcerent, iſti verò ſuo Judæos canone ad viam veritatis cœleſtis a deviis παλροπαερδώσεσι reducerent Gal. 2, 9. Qvorum hæ ſunt Lineæ ſeu ſoni Evangelici.

JACOBI LINEA EVANGELICA.

DIviſis Apoſtolis poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem *Jacobus* memor ſancti fœderis cum *Paulo* & *Barnaba* initi ſuum funiculum admovit extruendæ domui Dei, qvâ Palæſtina ejuſq; clarus oculus ac decus Hieruſalem lætabatur. Neutiqvam tamen huic glebæ tam affixus ſederat, qvin aliò ſe contulerit. In primis autem ad Hiſpanos rectà conceſſiſſe fertur, atq; eâ dexteritate Evangelium ſonuiſſe, ut huic Doctori complures Hiſpani ſe ceu diſcipuli, ſuos mores & animos formandos ac recoqvendos tradiderint. Ceterùm, Diſcipulis recèns aſcitis ibidem relictîs, in Judæam rediiſſe memoratur. Cujus exitum martyrium coronavit anno Chriſti 45, Claudii verò 3. Herodes enim Regno Judaico præfectus gratificari voluit Judęis, effecítq; ut ſangvine ſuô primus evangelicā ſanctæ veritatis lineam coronaret & Eccleſiæ ad palmam martyrii conſtantìa ſuâ præiret. De hujus obitu *Euſebius* Lib. 2, de Præp. Evang. cap. 9, ſic ſcribit: *De hoc Jacobo Clemens hiſtoriam memoratu dignam in ſep-*

 timo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

timo Hypotypoſeων, qvam ex præcedentium relatione acceperat, ponit dicens: Is ſanè qvi eum ad tribunal duxerat, cùm martyrium ſubiturum cerneret, ea re motus, & ſe Chriſtianum eſſe ultro eſt faſſus. Ducti ſunt igitur ſimul utriq; Ille verò in itinere petiit a Jacobo, ut ſibi ignoſceretur. Hic cum parumper deliberâſſet, pax tibi, inqvit, & oſculatus eſt eum. Atq; ita ſimul uterq; decollatus eſt. Nunc porrò ad Jacobi fratris Joannis Lineam progrediamur.

JOANNIS LINEA EVANGELICA.

JOannes Apoſtolus & Evangeliſta inſtar aqvilæ ſubvectus ad ſublimia de divinitate Chriſti myſteria contemplanda, intimæ ad ſinus uſq; admiſſionis diſcipulus Chriſti Joh. 13, 25, & 1, 18, a retibus vocabatur cum fratre *Jacobo*, nec non *Andrea* & *Petro* ad ſalutarem animarum piſcaturam a Servatore Matth. 4. v. 19, 20. ſeq. Hujus Linea extendi cœpit apud Samaritas, ad qvorum fidem confirmandam cum *Petro* ablegatur Actor. 8. v. 14, cujus prima ſemina ſparſit Philippus. Qvô præſente per manuum impoſitionem confertur *Spiritus Sanctus*, ibid. v. 17. *Euſebius* lib. 3. cap. 1. auctor eſt hujus cœleſtem *Lineam* in primis fructuoſam fuiſſe Aſiæ. Ac Epheſi qvidem ipſum aliqvandiu, ut ſanctum domus Dei architectum moratum eſſe multi affirmant: in qva ſententia etiam fuiſſe videtur *Irenæus*, lib. 3. contra Hæreſes c. 1 dicens: *Epheſi Johannem fuiſſe, cùm ſuum Evangelium ſcriberet. Nec multò pòſt*, inqvit idem Irenæus: *Paulum qvidem fundâſſe Eccleſiam Epheſinam, ſed Johannem ibi permanſiſſe uſqve ad Trajani tempora.*

PETRI LINEA EVANGELICA.

POrrò, poſtqvam *Petrus* conſtitutus ac renunciatus a Cœleſti ac ſummô Doctore CHRISTO JESU eſt *hominum Piſcator* Joh. 5, v. 10, unâ qvidem piſcatura fermè ter mille hominum Jeruſolymis cepit Actor. 2. v. 41. Sed alibi laxavit ſua retia non unô momentô, ſed paulatim nunc in hoc nunc illo locô evolvit, non ſecùs ac ille, qvi vada bolide prætentaturus perpendiculum nauticum ad explorandam maris altitudinem priùs e plicis explicat, qvàm penitùs demittit. Eqvidem poſtqvam Chriſtus aſcendit ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα; καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστάς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων &c: Petrus muneri Apoſtolico

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſtolico præfectus non unâ cathedrâ mox faſtuosè inſoleſcebat, ſed in Pontum, in Galatiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociam juſſu ejus, cujus juſſa non capeſſere aut mors aut morti proximum judicatur, conceſſit, homines eô ſucceſſu capiens, ut ſagenâ regni cœlorum ſint concluſi cum ęterno animarum gaudio. Nec non in Antiochia ſua retia ſaluti hominum apprimè commoda expandit Piſcator ille, qvem urbs urbium ſuum facit. In Antiochia autem, ubi Diſcipuli primùm Chriſtianorum nomine ſalutari cœperunt Actor. 11, v. 26 tamdiu manſit, donec ei placuit, a qvo ducebatur, aliò ipſum evocare.

Philippi Linea Evangelica ut paucîs multa complectamur, per Aſiam ſuperiorem circumducebatur, *Andreæ* per Schytiam, *Thomæ* per Parthos, Perſas, Medos & Indos, cujus memoria etiamnum apud Barbaros in Meliapora, qvæ in regno Narſingenſi eſt, ſacroſancta exiſtit. Hujus comes *Bartholomæus* citeriorem Indiæ partem Evangelicâ luce illuſtravit. *Matthæus Evangeliſta* Æthiopes, *Jacobus Alphæus* ſeu Minor Hieruſolymitanos, *Simon Cananæus* Ægyptios, *Judas Thaddæus* Meſopotamiæ, Arabiæ & Idumææ, *Matthias* Africæ, Cyrenes, Lybiæ & Getuliæ inhabitatores docuiſſe memorantur.

Pauli Evangelica Echo non ἑπτάφωνος tantùm fuit, ſed μυριόφωνος. Etenim qvantum priùs Eccleſiæ nocuerat perſeqvendo, tantum eidem poſtea profuit veritatis Evangelicæ ſonô longè lateq; & auditô & perceptô. Hujus *Linea* ab Hieruſolymis trahi cœpta latiſſimè poſtea extendebatur per Syriam, Ciciliam, Cyprum, Piſidiam, Lycaoniam, Pamphyliam, Myciam, Macedoniam, Græciam, Illyrium, tandémq; Romam usq;. Atqve hi primi & præcipui fuerunt Chriſtianæ fidei architecti, Viri in lucem orbis terrarum & ſalutem gentium a Deo dati. Duces ad veritatem, duces ad pietatem, duces ad cœlum; in qvo ut viverent, pleriq; mortui ſunt Martyres. Primi fuerunt religionis Confeſſores, qvi orbis errores domandos ſuſceperunt non per argutias *Sophorum*, myſteria *Ægyptiorum*, ſapientiam *Brachmanum*, ſuperſtitionem *Druidarum*, carmina *Bardorum*, vaticinia *Magorum*, Aſtrologiam *Gymno-Sophiſtarum*, monita Aegeriæ, ſeceſſum *Lycurgi*, ſed teſtimonio Jeſu & martyrii coronâ.

Poſtqvam populus Chriſtianus a duris perſeqvutionibus reſpiraverat atq; per carceres & tormenta adoleverat, tranſvecta legitur *Linea* Evangelicæ lucis ad Italos & a captivo Paulo lex libertatis prædicata. Mox

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Ravenna Appollinarem, Aqvileia Hermagoram, Mediolanum Barnabam, Fœſulæ Romulum, Capua Priſcum, Neapolis Aſprenatem divinæ domus architectones habuere. Eadem *Linea* paulatim explicari cœpta crevit eundo ad varias nationes, utpote *Gallos, Hiſpanos, Britanuos, Scotos, Hibernos, Germanos, Alſatos, Lotharingos, Sabaudos, Helvetios, Hungaros, Sclavones, Dalmatos, Bulgaros, Tranſylvanos, Polonos, Ruſſos, Tartaros, Danos, Norvegos, Gothos, Iſlandos, Groenlandos, Suecos, Lappones, Finnos, Friſios, Saxones, Vandalos, Boruſſos, Livonos, Lithuanos* & alios. Confer Orationem *D. Johannis Slangendorphii*, SS. Theologię Doctoris & qvondam Profeſſoris in regia Hafnienſium Academia, de initiis doctrinę & religionis propagatione & incrementis in inclitis Daniæ & reliqvorum ſeptentrionalium regnis Hafniæ habitam & editam 1591. Huic junge Academiam JESU CHRISTI Filii Dei collectam per *Johannem Schopfium, Abbatem Monaſterii Blaubeirn,* Tubingæ anno 1593 editam, nec non Florum Chriſtianum *Petri a Streithagen* Coloniæ Agrippinæ 1640.

Tot linearum una Salutis LINEA genitrix, qvibus ducendis *Gaffarellus* anſam præbuit. Sed non ſolus hujus opinionis faber eſt. Rabbini *Gaffarellum* hujus Lineari atqve Literariæ hujuscemodi levitatis aucupio longè anteverterunt. Hæc enim extat Peruſcia *R. Aben Ezra* in comma qvintum hujus XIX Pſalmi: בכל קום כמו קו לקו והוא המכתב ומ״מ קוום שב אל שמים והטעם כי מכתבם יקרא בכל המקום ויבינו מה טעמו כל המשכילים בכל מקומות הארץ: ובקצה תבל הוא הארץ המיושבת מליהם ישמיעו והנה ספור והקי הוא הספר והם שהזכיר בעל ספר יצירה ספר ספר וספור כי אלה שלשתם עיקרי כל החכמות וטעם להזכיר השמש כי הוא גדול מכל נוק והתנועות העליונות כלם קשורות בו והוא מוליד הזמן השוח והשונה והיום והלילה והמתכות והצמחים וכל החיים תלויים הא״ע Huic commentationi ſuâ interpretatione notîs intercalaribus conſpicuâ ſic olim lucem conciliavit induſtria Simeonis de Muis, qvi ſcriptîs Anno J. Ch. 1645. literis & amicorum Pariſiis redeuntium adhortationibus nos ad mutuam Voluminis Hebraici de-

ci defenſionem contra *Morinum* vocavit. In omnem terram exiit Linea eorum. *Linea eorum uti Linea poſt lineam, éſtq;* Scriptura. Eorum, *referri debet ad Cœlos, ſenſúſq; eſt,* Scripturam *eorum ubiqve locorum* legendam, *intellecturóſq; qvid ſignificet omnes intelligentiâ præditos per omnem terrarum orbem.* Et in extremum תבל i.e. terrę habitabilis eloqvia ſua *audire faciunt. Porrò* narratio & linea *ſeu* Scriptura Librum *efficiunt: hæc autem ſunt, qvæ dicit author* Libri Creationis [vel Abraham Patriarcha, cui perperam hic liber tributur, vel qvivis alius] *omnium ſcientiarum eſſe fundamenta, iſta videlicet tria recenſens,* ספר i. e. Librum ספר i. e. *Numerationem* [intellige Scripturam, ſic dictam, qvòd certô linearum & literarum numero perficiatur] & ספור i. e. *Narrationem.* [Tria hæc videtur complecti vox מספרים, i.e. *enarrant*, qvæ Cœlis tribuitur. Itaqve videtur velle ſignificare *Aben Ezrah*; Cœlos, qvorum eſt aliqva *Narratio*, & *Scriptura*, & qvibus duobus L*iber* efficitur & conſtat omnium ſcientiarum materiam ſuppeditare, nec immeritò dici מספרים, qvippe qvòd enarrent, enumerent vel deſcribant, & qvaſi *Liber* ſint, in qvo Dei Opt. Max. gloria clarè legatur: tria enim hæc una vox dicta ſignificare atqve exprimere poteſt] Soli poſuit tabernaculum in ipſis. *Ratio cur Solis mentionem fecerit eſt*, *qvòd ipſe omnium corporum maximus ſit*, ſuperioresqve omnes motus ab eo dependeant, ipſeqve generet tempus æqvale, & diverſum diem, & noctem, metalla, & vegetantia, omnia deniqve viventia 25 a ſole dependeant.

Deinde contra *Gaffarellum* obſervandum venit, qvòd nominet qvidem *Gaffarellus* R*abbi Davidem Kimchium*: qvia verò Kimchianorum verborum nec vola nec veſtigium in curioſiſſimo Gaffarelli ſcripto reperitur, qvô parietinæ ruinoſæ opinionis ſuffulciri qveunt, ſuppreſſa *Kimchî* verba indigitabimus, ut ipſa uſurpatorem potiùs pro dant qvàm defendant.

Verba *adducemus* hujus Rabbini ex ipſius ספר תהלים Pariſiis שנת שב״ impreſſo ſic ſonant: קום בניינם וכן קו לקו׳ לפי שהבניין יעשה הגלגלים והככבי יצא בכל הארץ׳ וכן בקצה תבל מליהם׃ והנה מעשיה דבריה׃ לשמש שם אהל ומקום בגלגלי׳ ואמר הספור על השמש לפי שהוא המאור הגדול ושישג ממנו לבני אדם תועלת גדולה יתר משאר הככבים במאודו ובחומו לבני

 אדם

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

אדם ולשאר בעלי חיים וצמחים וג״ Qvæ verba Latinitate ſic donaveris: Linea eorum, i.e. ædificium eorum. *Qvomodo dicitur*, Linea poſt Lineam. *Propterea qvod ædificio exſtruendo ſervit extenta menſoris* linea, *qvaſi diceret, Opificium orbium & Stellarum* exiit in omnem terram, *atq; ſic in* extrema orbis eloqvia eorum. *Ecce autem opus eorum* verba eorundem *ſunt. Nam* Soli inter illa poſuit tabernaculum. *Soli erexit tabernaculum locumq; conſtituit in Sphæris. Porrò* narrationem Soli *attribuit*, *qvòd ſit* Luminare maximum, *qvodq; ex eo emergat plus* utilitatis *ad homines*, *qvàm ex* reliqvis Stellis, qvi fovet luce & calore ſuô homines, reliqva animantia & vegetabilia. Hactenus *Kimchi*: E qvibus cuivis liqvidò apparet, qvi non cerebrum geſtat in calcaneo, in eo loco Kimchii nusqvam apparere ullius vel minimi Jota veſtigiũ, deſerviturum novi Alphabeti cœleſtis ſtructuræ, qvod curioſiùs in cœlis obſervavit Characterũ cœleſtium celerior promus, qvàm condus conſtantior *Gaffar*. Edicat enim aliqvis, an fictus character cœleſtis ullo apice conveniat cum ædificio, qvô vocabulô *Kimchius τὸ* קום interpretatur. Et ne putes ipſum Literis cæleſtibus ſtrenuum fore patronum, actutum ſubjungit affirmatq; *Verba Cœlorum eſſe* opus eorum. Qvis autem unqvã dixerit cœleſtia Sidera mutuas operas traditura in Alphabeto conſervando, qvod certum foret prognoſticon futurorum contingentium & infallibile ſubſidium conjectoribus Genethliacis, & id genus hominibus, qvi Vatum conſiliis ſe aut intereſſe aut præeſſe putant. Profectò longè diverſam provinciam aſtris commiſſam eſſe a ſummo Δημιουργῷ teſtatur voluntatis divinæ primus & antiqviſſimus interpres *Moſes* Geneſ. 1, v. 14: יְהִי מְאוֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם לְהַבְדִּיל בֵּין הַיּוֹם וּבֵין הַלָּיְלָה וְהָיוּ לְאוֹתֹת וּלְמוֹעֲדִים וּלְיָמִים וְשָׁנִים׃ *Sint luminaria in extento Cœlo, ut diſtingvant diem a nocte, & ſint in ſigna & ſtata tempora & dies & annos.* Qvæ evidenti ſunt documento, eam ob cauſam condita eſſe Sidera, partim ut certas dierum noctiúmq; magnitudines ſingulis locis & temporibus conformes exactè definiant, earundem partes variorum inſtrumentorum beneficiô variegatim inveſtigandi anſam ſubminiſtrent, partim ſtatorum temporum, annorum & feſtorum periodos circulis ſuis exqviſitè deſcribant, partim ut ſigna ſint agricolis ad internoſcenda commoda ſationis tempora, partim navigaturis phari ad evitanda naufragia & alia marina vitæ & fortunarum diſcri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

diſcrimina, partim deniqve cunctis hominibus οὐρανοπολίταις ad cognoſcendam Dei omnipotentiam & celebrandam ejus ſapientiā. Confer *celeberrimi Viri D. M. Vilhelmi Langî, Principi Dan. Electo a ſtudiis, Mathem. Super. in Academia Haunienſi* Prof. P. *Dn. Collegæ & amici plurimùm honorandi Exercitationum Mathematicarum primam* contra Genethliacorum arachnæas telas.

Verùm enim verò, cùm *Literarum cœleſtium* auctor adhibeat varia fulcra, qvibus Literariam ſuam araneorum telam ſtatuminare parat : ſedulam dabimus operam, ut compendifaciamus longius iter, qvod, Deo duce & comite confecturi ad metam ſummo cum deſiderio contendimus. Eſto itaqve

α
ε χ θ
ω

SEPTIMUM MOMENTUM.

TOta cœleſtium Stellarum inſtar literarum ordinatarum a *Gaffarello* ſtructa moles facili tactu collabaſcit, qvia auctoritas, qvam divinis monumentis inædificat, omni contextus ſacri fundamentô & verô Hebr. dictionum uſu vacat, humana auctoritas, qvam citat ut plurimùm vacillat, & deniqve rationis acumen planè heic hebeſcit.

Ut paucîs periodîs multa complectamur, ad unum *Momentum* tria arctamus, nimirum 1. ſacræ Scriptuæ teſtimonia, 2. ſuffragia hominum & 3. eorum ratiocinia.

Teſtimoniorum ſacrorum abuſus, qvi *Gaffarello* potiſſimùm eſt in deliciis, partim oſtenſus eſt, partim oſtendendus : ſed ita ut ipſius auctoris verba neutiqvam a nobis neglectui habita jure a qvoqvam cenſeri qveant.

Jacobus Gaffarellus cap. XIII Curioſitez Inouyes N° 2. p. 582. ed. Pariſienſis typ. *Herv. du Meſnil* 1629: p. 282, n. 2. Rothamagi. Typ. *Jean Bouley* 1631: pag. 281: item ed. 1637 ſine Typographi & loci nomine p. 281, 282. N. 2. ſic fari incipit:

Si nous

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Si nous pouvons trouver qve le Ciel dans ces divines Eſcritures ait eſté nommé par le S. Eſprit LIVRE, il n'y a nulle doute qu'il ne faille conclurre que dans ce liure, il y a des lettres & characteres intelligibles à quelques uns. Or qu'il ſoit appellé LIVRE, nous le voyons dans le Prophete Iſaye, lequel parlant du dernier des jours auquel toutes choſes ſe repoſeront, dit, complicabuntur ſicut liber cœli où le כ *Caph en Hebreu, que les Latins ont tournè en ſicut, ſignifie dans l'original quia. De façon que ſi Iſaye dit que les Cieux ſeront pliez, il en donne à meſme temps la raiſon, parce qu'ils ſont un livre. Que ſi on dit que le* כ *Caph peut ſignifier auſſi ſicut, on reſpond, que les moins verſez aus Eſcritures Sainctes, ſçauent aſſez que ce mot Latin n'eſt pas tousjours marque de ſimilitude, facti ſumus SICUT conſolati, nous avons eſté (chante le peuple revenant de captiuité) comme des hommes conſolez, eſt ce à dire qu'ils ne le fuſſent pas veritablement? non, mais ce mot de COMME ſicut eſt là mis comme s'il n'y eſtoit pas, Le meſme en eſt il du paſſage transivimus ſicut per ignem, & d'un bon nombre d'autres; doncques complicabuntur Cœli qvia LIBER ſunt: Que ſi on inſiſte encore que puis que le* כ *Caph ſignifie quelque fois ſicut dans l'original Hebreu, on n'aura pas plus de raiſon de l'interpetrer en quia que en ſicut, & par conſequent il ſera veritable que les Cieux ne ſeront pas un livre, mais comme un livre, A cela on peut reſpondre que l'Eſcriture ſaincte definit parfaictement cette controverſe, puis qu'en d'autres endroits, parlant du ciel elle fait mention de lignes, & de lettres, qui ſont mots qui conviennent eſſentiellement à un livre, ſans qu'elle mette le mot de COMME ſicut: marque infallible que ces mots ne ſont pas de ſimilitude dans ce paſſage advancé: Complicabuntur SICUT liber cœli.*

Qvam Gaffarelli Diſſertationem Latinitate ſic donaveris. Qvòd ſi Cœlum in divinis monumentis a Spiritu ſancto *Liber* ſit nuncupatum, procul omni dubio concludere licet in illo *Libro* literas & characteres fore, qvi a nonnullis intelligi poſſunt. Ceterùm appellatum fuiſſe *Librum* videmus in Propheta *Eſaia*, qvi de extremo die, qvo omnia qvieſcent, loqvutus ſic ait c. 34, v. 4: *Complicabuntur ſicut LIBER cœli.* ubi כ Caph Hebræum qvod Latini SICUT reddiderunt ſignificat in originali QVIA. &c. Qvi in ſacris Literis verſati ſunt, bene nôrunt illud vocabulum non ſemper ſimilitudinibus adhiberi: *Facti ſumus ſicut conſolati.* Hocne eſt illos verè non fuiſſe conſolatos? Minimè. Iſtud autem vocabulum *Comme* Sicut eſt, ac ſi non adfuiſſet, adhibuit. Idem dictum eſto de illis: *Tranſivimus ſicut per ignem*, & de pluribus aliis. Qvare complicabun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

cabuntur cœli? qvia *Liber* ſunt. Sin iterum inſtes: qvòd qvamvis כ Caph interdum *ſicut* ſignificet convenienter originali textui Hebræo, non major ſuppetat cauſa interpretandi QVIA qvàm SICUT, & conſeqventer verum erit Cælos non eſſe *Librum*, ſed inſtar *Libri*. Huic reſponderi poteſt, ſacram Scripturam perfectè decidere hanc controverſiam; qvia alibi de cœlo loqvens *Linearum* & *Literarum* meminit, qvæ verba propriè *Libro* conveniunt, non conſideratâ dictione SICUT, qvod certo indicio eſt hæc verba in ſeqvente hac parabola non eſſe *inſtar ſimilitudinum: Complicabuntur ſicut Liber Cœli.*

Principiò qvidem verba *Eſaiæ* e fonte hauriemus c. 34, v. 4 deſcripta:

וְנָמַקּוּ כָּל־ צְבָא הַשָּׁמַיִם וְנָגֹלּוּ כַסֵּפֶר הַשָּׁמָיִם וְכָל־ צְבָאָם
יִבּוֹל כִּנְבֹל עָלֶה מִגֶּפֶן וּכְנֹבֶלֶת מִתְּאֵנָה׃

LXXII *Interpretes* ita: Καὶ ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς, ὡς βιβλίον, καὶ πάντα τὰ ἄστρα πεσεῖται ὡς φύλλα ἐξ ἀμπέλου, καὶ ὡς πίπτει φύλλα ἀπὸ συκῆς.

Vatablus ita reddidit: *Liqveſcet qvoque univerſus exercitus cœli, complicabunturque cœli ſicut liber, & univerſus exercitus eorum decidet ſicut decidit folium de vite & ſicut decidit de ficu.*

Vidimus abuſum hujus conjuncti Syncategorematis, cui propalando ac defendendo Gaffarellianus literarum cœleſtium ſtylus juſtô curioſiùs indulſit: nunc miſsîs ſarcaſticîs obelîs verum uſum hujus dictæ particulæ e gazophylacio divinarum literarum inveſtigare pro virili annitemur. Interea haut abs re erit *Ariæ Montani* in hunc locum commentationem & ſingularem meditationem ad partes vocare & Lectoris judicio ſubjicere. Ita autem *Arias*: *Stellis fatum aſcribebant* (gentiles), *cujus vis nec vitari, nec impediri nec mutari ullo pacto poſſet. Atq; fati comitem fortunam cœlo etiam aſtriſque intulere, cujus vanæ & inſanientis doctrinæ plenæ ſunt ferè gentium omnium chartæ, &c. Hanc verò perſvaſionem ac diſciplinam exitu manifeſto argutum iri Vates prædicit: interitu nimirum ac ſtrage ac cæde nationum omnium promiſcua, cujus ſpectaculum doceat nihil aſtra efficere, nihil poſſe, nihil valere, aut prodeſſe citra Dei voluntatem & conſilium; & perinde eſſe inutiles cœli pictas figuras iis omnibus qvibus divina imminet ira, atque liber ſive volumen denſis exaratum literis, involutum tamen ac complicatum, qvibus nullus legentibus hoc pacto eſſe poſſet uſus.*

Nunc ſeqvitur ejusdem conjunctæ voculæ varia indoles his ſeqventibus linearum cancellis incluſa:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Hebræorum כ הַדִּמְיוֹן ſeu ſimilitudinis ſignificat ὁμοίωσιν

- Simplicem, ut Geneſ.3, v. 5. *Eritis* כֵּאלֹהִים *ſicut Dii*. Sic Pſal. 1,3, כְּעֵץ *ſicut lignum*, & *Dan*.12, *v*.3 *Docti fulgebunt ſicut ſplendor* (כְּזֹהַר) cœli; non aliter ac Græcorum ὡς uſurpatur Eph. 5, v.22. Uxores *ſubditæ ſint ſuis maritis* ὡς τῷ κυρίῳ, *ſicut domino*.
- Comparatam, cùm denotat collationem inter res
  - Æqvales, qvæ ita ſecum conferuntur, ut ſibi non præferantur, ſed æqviparentur; e.g. Gen.18,15; *Abſit ut* (כַּצַּדִּיק כָּרָשָׁע) *ſic juſtus ſicut impius*.
  - Inæqvales, qvando uſurpatur
    - Ἀξιωματικῶς, & eſt
      - Βεβαιωτικὸν, ad ſententiam confirmandam adhibitum Hebræis dicitur כ הָאֲמִיתִית. Tale eſt illud Gen. 2,v.18, אֶעֱשֶׂה־לּוֹ עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ. *Faciam ei adjutorium, qvod revera ſit coram eo*. 1 Sam.9,v.13. Sic Joh. 1, v. 14. ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς. Ad qvæ Theophylactus: τὸ ὡς, ἐνταῦθα οὐχ ὁμοιώσεώς ἐστιν ἀλλὰ βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ. Simile reperitur Phil.2,8. Formâ inventus (ὡς ἄνθρωπος) ſicut homo h.e. *reverà homo*; ſecundũ *Oecumenium*, velut ſolet *homo*. Sic Cicero in Lucullo: *Illos qvi omnia incerta dicunt, qvaſi deſperatos aliqvos relinqvamus*, h.e. cùm verè deſperati ſint.
      - Προσδιοριστικὸν; Sic uſurpatur ad determinandum rerum vel
        - Qvantitatem tum ſecũdum
          - Menſuram, ut Exod.16,21. Collegerunt manna כְּפִי ſecundum cibum ſuum. Sic Judæi: מִדָּה כְּנֶגֶד מִדָּה Menſura ſecundum menſuram.
          - Tempus e.g. Gen.19,v.17; Et factum eſt (כְּהוֹצִיאָם) cùm educerent eos. Alias ſpecies, de qvibus paſſim.
        - Qvalitatem: ut 1 Sam.13, v.14, *Dominus qvæſivit ſibi virum* כִּלְבָבוֹ *ſecundum cor ſuum*. Sic Pſal.51, 1. *Miſerere mei Domine* כְּחַסְדֶּךָ *ſecundum miſericordiã*, ut ſoles miſerere reſipiſcẽtiũ.
    - Εἰκαστικῶς, v.pag. ſeqv.

Εἰκα-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Εἰκαστικῶς, cùm ſervit conjecturæ exprimendæ vel circa numeros, tempus, vel circa menſuram, & dicitur כ הַשִּׁיעוּר Joſva. 4, verſ. 13 כְּאַרְבָּעִים אֶלֶף *qvaſi qvadragies mille.* Græci utuntur ad hanc exprimendam ὡσεὶ; Conf. Matth. 14, v. 21. Apud Latinos ei reſpondent particulæ *qvaſi, qvodammodo, ferme, ferè.* Terent. Heaut. *Mercedem qvaſi talenta ad qvindecim coëgi.* Porrò de tempore Ruth. 1, v. 4: *Et manſerunt ibi* כְּעֶשֶׂר שָׁנִים *ferme decem annos.* De menſura Ruth. 2, v. 17; & fuit כְּאֵיפָה שְׂעֹרִים *modius hordeorum præter propter.*

Cùm germanum eximii hujus Adverbii uſum præſens tabula repræſentet, & ſuapte ſponte concidat vocabuli abuſus qvô curioſum ſuum ingenium oblectavit *Gaffarellus*: rectà nunc ad expendendũ vaticinium Eſaiæ progredimur, ubi e Fontibus Hebræorum & LXXII Interpretum rivis in alveum characterum, qvod alba Melonis pagina ſignat, ſimile Jeremię dictũ priùs deduxerimus, atq; publicis oculis ſubjecerimus.

Jeremiæ 38 v. 2.

קַח־לְךָ מְגִלַּת־סֵפֶר וְכָתַבְתָּ אֵלֶיהָ אֵת כָּל־הַדְּבָרִים אֲשֶׁר־דִּבַּרְתִּי אֵלֶיךָ עַל־יִשְׂרָאֵל וְעַל־יְהוּדָה וְעַל־כָּל־הַגּוֹיִם מִיּוֹם

Verſio LXXII his verbis concepta eſt: Λάβε σεαυτῷ χάρτην βιβλίου, (Vatablus *volumen* libri) καὶ γράψον ἐπ' αὐτοῦ πάντας τοὺς λόγους οὓς ἐλάλησα πρὸς σὲ ἐπὶ Ἰσραὴλ καὶ ἐπὶ Ἰουδὰν, καὶ ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐλάλησα.

Tolle tibi Volumen Libri, & deſcribe in eo omnia verba qvæ loqvutus ſum tibi adverſus Iſrael & Jehudah, & adverſum omnes gentes, a die qva loqvutus ſum ad te, a diebus Joſiæ uſqve ad diem hanc.

Initiò qvidem inſtituenda fuiſſet σύγκρισις utriusq; Vaticinii partim ab Eſaia partim a Jeremia profecti, in primis autem uſus convoluti voluminis eſſet evolvendus; huic συγκρίσει mox ſubjungenda eſſet amborum ſacra ἀνάκρισις Scripturæ conformis, & huic noſtro inſtituto conveniens. Qvia verò pauxillum temporis, cujus anguſtiâ arctamur, huic conſiderationi vix ſuffecturum prævidemus, malumus heic vocare ad partes ipſius ſubſidium, qvem olim Franekeræ Friſiorum Muſæ noſtræ Rabbini-

cæ & Chaldaicæ ducem & adjutorem nactæ ſunt, & reſponſum ὀνοματώδες ab ipſo mutuum accipere, qvàm hanc σκέψιν deſertam pati.

Sixtinus Amama is eſt, qvi *Libro* 3. *Anti-barbari Biblici* pag. 771 ſuper Pſalmi 40, v. 8 ſic ſcribit: [In capite libri ſcriptum eſt de me] *ita Vulgatus.* LXX. ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. *In eundem modum invenies locum hunc citatum in Epiſtola ad Hebræos* 10, *v.* 7; *Textus Ebræus habet* במגלת ספר *in Volumine Libri*, hoc eſt, *in* Libro. *Locutio* ἐκ παραλλήλου *ut petra ſilicis & ſilex petræ. Vide Gramm. noſtram lib.* 2. *cap.* 1. *Ita & Genebrardus in comment.* מגלה *eſt Liber, ſed convolutus. Solebant enim priſci libros ſuos in cylindri formam convolvere, ut etiamnum Judæi exemplar illud Legis, qvod in pergameno exaratum in Synagogis aſſervant, convolvunt. Hinc natæ illæ locutiones,* ἀναπτύξας & πτύξας τὸ βιβλίον Luc. 4, v. 17 & 20. *Hinc Latinorum Volumen, & evolvere Libros.* מגלה *ergo* αὐτολεξεὶ, *volumen, a* גלל *volvere. Hæc eſt ſimpliciſſima interpretatio &c.* Et poſtea: *Pro eo (loqvitur de Græco interpretamento*, κεφαλίδι) *Symm. & Aq.* εἰλήματι *dixerunt.* Εἴλημα *involucrum & volumen. Huc reſpexit Suidas, qvando inqvit,* κεφαλὶς βιβλίου ὅπερ τινες εἴλημα φασὶν. *Idem ergo qvod Ebræum* מגלה. *Vox* κεφαλὶς *plus negocii interpretibus faceſſit.* Κεφαλὶς *in lingva Helleniſtica* (ſubjungit hæc verba Amama ſententiarum de illa vocula divortiis p. 775) *idem qvod* מגלה *Volumen. Fidem facient hæc exempla Ezræ* 6. 2. καὶ εὑρέθη κεφαλὶς μία. Chald. מגלה *& inventum fuit volumen unum.* Jezech. 3. 1. υἱὲ ἀνθρώπου κατάφαγε τὴν κεφαλίδα ταύτην, *ubi Ebraicè rurſus* מגלה; *ſic & v.* 2. *Hic rectè nec caput nec initium ſignificare poteſt. Jeſai.* 8, 1. *vocem ſynonymam* גליון, LXX τόμον, *alius* τεῦχος, *alius* διφθέρωμα, *alius* κεφαλίδα *interpretatus eſt.* Κεφαλὶς *ergo volumen, undecunqꝫ ita appellatum ſit.* Hæc Amama. *Sunt enim qvi* κεφαλὴ *deflectunt, qvaſi dicas opus capitatum.* Talis liber Græcis vocatur ἑλικοειδὴς γραμμὴ, tortilis & formam voluminis habens. Confer Myrothecium *Fortunati Scacchi* cap. 38, pag. 367, 368. Hactenus ὀνοματώδης, ſeqvitur πραγματώδης conſideratio.

Secundò, rem ipſam qvod ſpectat: prædicit Eſaias Idumæis maximas clades & inevitabiles calamitates ob commiſſa peccata. Ut autem ſeveritatem divini judicii poſſit exaggerare, ſermonem deflectit ad πανολεθρίαν totius mundi, ut ejus cogitatione territi homines deſiſtant ab

idolo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

idololatria & offenſione divini numinis. Exemplum aliorum Prophetarum ſeqvitur, qvi ſecuritatem peccandi amolituri magnitudinemq; vindictæ divinæ & imminentium pœnarum ingentia mala exaggeraturi in ſubſidium vocare aſſolent ea, qvæ finem ruituri mundi proximè præcedunt.

Talem methodum obſervatam eſſe alibi teſtatur ipſius vaticinii c. 10 v. 19: *Ecce dies Dominini crudelis & indignationis plenus, qvoniam ſtellæ non emittent lumen, obtenebratus eſt ſol in ortu, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Alia hujus rei exempla legere licet Jer. 15,9, Joel. 2, 10, 30, cap. 3, 2. Illuſtre cumprimis teſtimonium extat Apoc. 6, v. 14. Ὁ ἐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιϐλίον ἐλισσόμϑυον, *Cœlum ſeceſſit ſicut libellus convolutus.* Qvinimo ipſum Prophetarum omnium caput & Dominus Chriſtus ab hoc ſtylo non abhorruit Mat. 24, ubi ſigna & portenta couſummationis ſęculi pręnuncia cum iis prodigiis conjunxit, qvæ Jeruſolymæ totalem everſionem præceſſura ante tot annorum periodum infallibili prophetandi dono præviderat. Confer 2 Pet. 3, v. 7, qvod paginâ 87 a nobis ſupra allegatur.

Tertiò, Vim & conſecutionem argumenti *Gaffarelliani* libraturi, deprehendimus confundi hic ταυτότητα cum ἰσότητι. Neq; enim inſtar Voluminis eſt ipſum Volumen. Propheta autem vaticinatur הַשָּׁמַיִם *cœlos ſicut volumen involutum iri.* 2. Similitudo non ſita eſt in libro qvà ſcriptilis exiſtit, ut cum *Ammiano Marcellino* loqvamur, ſed in libro qvatenus eſt *Volumen*, hoc eſt, qvatenus volvi & revolvi comparatus. Etenim veluti convolutus Liber nemini fructuoſæ lectionis uſum præſtat: ſic cœlum ad inſtar voluminis clauſum divinâ vindictâ virtutes ſuas ſublunaribus (inter qvæ eminet ἀπαρχὴ τῶν κτισμάτων Jacob. 1, v. 18) ſubminiſtrare recuſabit: e diverſo cœlum qvamdiu eſt הרקיע retinens primigenii extenti naturam, vivificas hominibus & animantibus vires ingenerat. Nec illud inobſervatum nobis erit: Dicti Idumæi exercitui cœlorum cultum indebitum deferendo peccârunt atq; benigniſſimi numinis oculos a ſe averterunt. Ideo per cœlorum & aſtrorum negata officia puniri debuerunt, qvæ priùs fuerant aſcita inſtrumenta peccandi. Qvemadmodum veteri ſermone tritum, ita veritate communitum comperimus Hexametrum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Per qvod qvis peccat, per idem punitur & ipſe.

Qvartò, qvia confertur Cœlum cum folio deciduo ingruentis hyemis, ſeqveretur juxta *Gaffarelli* argumentandi rationem cœlum fore folium, qvod valde ἄτοπον. Textus enim hic prodit ſimilitudinem, non identitatem, veluti Philoſophis loqvi placet. Extat in textu, יִבֹּל כִּנְבֹל עָלֶה מִגֶּפֶן *ſicut decidere ſolet folium* ficus. Innuitur enim hac ſimilitudine cœlorun inutilitas, qvæ priùs noëmate voluminis convoluti indigitabatur.

Porrò ut cudat nobis *Gaffarellus Alphabethum cœleſte*, obtortô collô cuncta in ſui obſeqvium trahit, qvæ librariam rem attingunt. Ex uſu libri ejúsq; modo ſophiſticari cœpit; jam ad ejusdem materiam *pellem* rectà deſcendit his uſus verbis p. 587 edit. Pariſ. 1629. *Nous pouvons hardiment ſuyvre la lettre, & dire literalement* קום *Kavam, linea eorum entendant des Eſtoilles qui ſont rengees au ciel, comme des lettres dans un liure ou ſur un parchemin; à raiſon dequoy l'Eſcriture dit que Dieu eſtend les Cieux comme une peau, appellant ceſte extenſion* רקיע *Rachia, d'ou les Grecs auroient paraduenture tire leur* ῥακός *qui ſignifie une peau ou un cuir, eſtant le propre d'une peau d'eſtre eſtendue.* Qvæ ſic verteris: *Securè literam ſeqvi poſſumus, & literaliter dicere* קום *Kavam, Linea eorum, de ſtellis in cœlo ordinatis intelligentes, ut de literis in libro vel Pergamena; qvâ ratione Scriptura dicit Deum in modum pellis Cœlos extendere, hanc extenſionem vocans Rachia, unde fortaſſis Græci ſuum* ῥάκος *extraxerunt, cutem vel corium ſignificantem, qvòd proprium pellis eſt extendi.*

Hæc itidem *Gaffarelli* Diſſertatio laborat ψευδερμηνείᾳ, qvam cœcus literarum cœleſtium amor parit. Qvinam autem ſit ſenſus hujus loci, ejusdem religionis ſocienus *Genebrardus* pandit Comment. in Pſal. 103: *Extendens cœlum ſicut pellem] Cortinam propriè & velum. Cœlos ſicut cortinam in rotundum ſinum, absq; ruga, ſummâ æqvalitate, amplè & latè extendit. Pellis enim & cortina non ſolum in planum ſinum extenditur. Nam & uter, ſicut veſica, pellis eſt. Unde alibi cœlum dicit eſſe velut camera ſuſpenſum. Auguſtinus* de Geneſi ad literam, c. 9. Aliqvi, ſicut cortinam, intra qvam occultatus habitet & ſedeat. Vel eſt Metonymia, pellis pro toto tentorio: qvi extendiſti cœlum qvaſi tabernaculum & tentorium militare. Kimchi mavult cœlum hic ſignificare aërem extenſum, ſive expanſum inter cœlum & terram.

Nobis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Nobis verò placet explicatio Eſaiæ Prophetæ deſcripta cap.40,v.22. הנוטה כדק שמים וימתחם כאהל לשבת Extendens velut cortinam cœlos, & expandit eos ſicut tentorium ad habitandum. In Græco ὡς καμάραν, in Latino velut nihilum, in Chald. כזער cizer, velut minutum extendit cœlos, & extendit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum, hoc eſt, ut ipſe ſub iis habitet ac ſedeat, nimirum ſuper gyrum, ſeu circulum terræ, ut habet initium verſus 5 ſeqventis. Alioqvin Deus, qvi nullo continetur loco, ſed omnia continet, atq; idcirco מקום ab Hebræis appellatur, non infra cœlum modò, ſed & in ipſo cœlo, imò fortaſſe & ſupra & extra cœlum, ubi nullus locus eſt, exiſtit. Confer *Simeonem de Muis* in Pſalmos Davidis.

Ultimò id unum agit *Gaffarellus*, ut Moſaicum τὸ לאותות in Literas ſuas torqveat. Sed auctorem ſuâ lingvâ vernaculâ utentem audiamus pag. 583 editionis Pariſ. 1629. *Or que l'ſcriture ſaincte parlant du ciel, nomme expreſſement le nom de* LETTRE, *on le peut voir au premier verſet de la Bible dans l'original Hebreu, qvi eſt* בראשית ברא אלהים את *Berechit bara Elohim* ET *haſchamain, ceſt à dire, au commencement Dieu crea la* LETTRE, *ou Charactere du Ciel: Ainſi le porte le mot* את ET *ou* אות *aot qui ſignifie* LETTRE.

Qvorum verborum, ſi placet, ſit hæc interpretatio: *Qvod autem ſacra Scriptura de Cœlo dicens, expreſſam mentionem faciat Literarum, id in primo Bibliorum verſu in originali Hebræo videri poteſt; nimirum* בראשית ברא אלהים את *id eſt, in principio creavit Deus literas vel characteres cœli: Illa enim comprehendit vocula* את ET, *aut* אות *aot, qvæ* LITERAS *ſignificat.*

Similia verba lege pag. 590 ejusdem Edit. *La concluſion de ce ſçavant Pere eſt dautant plus puiſſant que là où noſtre Traduction porte, ſint in ſigna, l'Original Hebreu dit* והיו לאתת *vehaiou leotot, c'eſt adire de mot a mot: & ſint in litteras.*

Qvæ ſic ſonant Latinè: *Eò major & nervoſior iſtius Patris excellentis (laudat autem hic* Origenem, *qvi citat librum inſcriptum* Narratio Moſis, *in qvo fertur Patriarcha Jacobus de ſe filiis benedicturo dixiſſe: Legi in tabulis Cœli qvacunq;*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

cunq; contingent vobis & filiis veſtris) concluſio ibi eſt, qvàm qvò tendit noſtra Tranſlatio, ſint in ſigna, Hebræa originalis dicit והיו לאתת *Vehaiu leotot, id eſt dicere verbum de verbo: & ſint in literas.*

Qvàm hic toto cœlo cœleſtis Elementarius *Gaffarellus* receſſerit a vero ſenſu & ſignificatione vocabuli אותות, optimè nôrunt, qvibus unqvam res fuit cum iis ingeniis, qvæ vanarum & novarum Qvæſtionum amore effaſcinata fictis interpretamentis hoc admittere non verentur, ut invariatus ille credendi & vivendi canon tandem audiat regula Lesbia, ad qvam videlicet qvævis abſurdorum dogmatum ſtructuræ examinatæ rectitudinis ſpeciem ſub hoc falſo titulo ſplendidè mentiri qveunt. Ac ut primò cuivis appareat, qvàm inepta ſit & qvàm aliena ab ipſâ Scriptura voculæ τȣ̃ אות ſignificatio, qvæ Gaffarello arriſit, benevoli Lectoris exqviſito judicio 83 oracula ſubjecimus, in qvibus varius ejusdem uſus toties præciſè eſt obvius, ad oculum demonſtrantes ἄτοπον & ἄγραφον eſſe tale ſignificatum, qvale τῷ אות aſcribi haut debitâ circumſpectione exiſtimavit; interea Lectorem ſignificationis τȣ̃ אות cognoſcendæ avidum ad ea remittentes, qvæ Primo & Secundo *Momento* a nobis ea de re ſunt obſervata.

אות Hebræum in Libris Canonicis V. Teſt. eſt

I. Μνημονευτικόν, cùm eô aliqvid denotatur, cujus beneficio res vel actio qvædam nobis in memoriam poteſt revocari. Hoc ſenſu occurrit Exod. 13, v. 9, 16. cap. 31, v. 13, 17. Num. 16, v. 38. Deut. 6, v. 8. Joſvæ 4 v. 6. 1 Sam. 2, v. 34. Pſal. 64, v. 4, 9. Eſai. 19, v. 19. Ezech. 14, v. 8. cap. 20, v. 12, 20.

II. Θαυματικόν, cùm eo miracula Dei & inuſitata beneficia vel, plagæ ingentes ſignificantur. Sic Exod. 3, v. 12; 4, v. 8, 9, 17, 28, 30; cap. 7, v. 3; c. 8, v. 23; c. 10, v. 1, 2; c. 12, v. 13; c. 13, v. 16. Num. 14, v. 11; c. 17, v. 10; Deut. 17, v. 10; c. 13, v. 1, 2. c. 26, 8; c. 29, 3; Joſv. 24, v. 17. Jud. 6, v. 17. 2 Reg. 20, v. 8, 9. Nehem. 9, v. 10. Pſal 65, v. 9; 78, v. 43; 105, v. 27; 135, v. 9; Eſa. 7, v. 11; 38, v. 7, 22. Jerem. 32, v. 20, 21. Dan. 3, v. 33; c. 6, v. 27.

III. Προφητικόν, qvando eſt rerum futurarum indicium. Sic Gen. 1, v. 14; 1 Sam. 2, v. 34; 1 Reg. 19, v. 29; Job. 21, v. 29; Eſa. 20, v. 3; cap. 37, 30; cap. 44, 25; Jer. 10, v. 2; c. 44, 29; Ezech. 4, 3; Dan. 3, v. 33.

IV. Διακριτικόν, ubi certæ alicujus rei vel perſonæ, qvæ ab alia digno-

gnoſci debet nota eſt. Sic Gen. 4. v. 15; Num. 2, 2; Joſv. 2, 12. 1 Sam. 10, v. 7, 9; 14, v. Eſa. 66, v. 19. Reſpondet huic in N. T; σημεῖον 2 Theſſ. 3, v. 17.

V. Μυςικὸν eſt rerum parabolica ſignificatio. Ut e. g. Eſ. 8, v. 18.

VI. Pro ſimulacris & idolis. Sic Pſalm. 74, v. 4.

VII. Διαθηκετικὸν ſive Fœderale; Sic Joſv. 2, v. 12. Pſal. 86, v. 17. Eſ. 55, v. 13.

NB. Cognatum huic vocabulum האותיות ter reperitur in authentica Scriptura, & ubiq; denotat *Futura*. Confer Eſa. 41, v. 23; cap. 44, v. 7; cap. 45, v. 11.

Horum omnium ſacræ Scripturæ canonicæ locorum nullum reperiri poteſt, qvô manifeſtè voculæ אות ſignificatio demonſtretur, qvam *Gaffarellus* privatô auſu eidem vendicavit, ut ſuam opinionem palliaret.

Qvocirca conſtanter negamus τὸ אתות in Hiſtoriæ Moſaicæ capitis primi commate 14 denotare propriè *Characteres* ita in cœlo miniſteriô *Angelorum* diſpoſitos, ut *Lectionem* eorum curioſos Aſtrologos futurorum eventuum plauſibili ſcientiæ inhiantes edoceant inveſtigatu impoſſibilia *Prognoſtica*.

PRIMO enim ſeriò interdicta ſunt in ſacrorum monumentorum Voluminibus omnia vanæ prædictionis genera, qvæ ὑπερφρονοῦντα ingenia de *Stellarum* in cœlo aſteriſtica & Angelicâ diſpoſitione ſibi fingere præſumunt. Audiamus modò divinarum Legum primum Scriptorem *Moſen* ex Deut. 18, v. 10 ſuâ lingva ita loqventem: לא־ימצא בך מעביר בנו־ובתו באש קסם קסמים מעונן ומנחש ומכשק: *Non ſit inter vos, qvi filium ſuum filiámve per ignem traduxerit, neq; divinans divinationes præſtigiator neqve augur, neq; maleficus.*

In qvo *Moſis* interdicto vox מעונן ſignificat *nubem obtendere, præſtigiis uti ad offuſcandum hominum oculos, aut vaticiniis vanis inſtabiles & veri ignaros homines ludere*. LXXII *Preſbyteri* exponunt κλυδονίζειν, fluctuare: qvi fluctus, qvæ inconſtantia eorum hominum propria eſt, qvi talibus divinationibus ſua ſtudia haut dubitant mancipare.

Rabbi Ben-Majemon Lib. de Idololatria capite 6 his verbis exponit:

נתנים עתים שאמרו באצטגנונירת יום פלוני טוב ויום פלוני רע:
Qvorum verborum hæc eſt ſententia: *Conſtituentes tempora, qvi dicunt per Aſtrologiam diem qvendam bonum eſſe, qvendam malum.* Danica noſtra Verſio exponit hunc ferè ſecuta Dagwellere/ *dierum electores.* Præterea, qvàm abominetur Deus *Aſtrologorum* inſtituta eorumq́; vanas conjecturas, indicio haud obſcuro eſt illud Jeremiæ cap. 10, v. 2 interdictum: *Nolite diſcere gentium mores, & ne patiamini vobis terrorum incutere cœlorum ſigna; gentium enim eſt ea timere; v. 3, nam gentium mos eſt vanitas ipſa.*

Ecce judicia, qvæ nitebantur aſtrorum aſpectu, atheiſmi fœdô crimine notantur, atq; timori gentili aſcribuntur. Confer ea qvæ contra *Aſtrologiam* judiciariam ductum Spiritus Sancti ſeqvutus edixit *Eſaias* cap. 8, v. 19. His adde *Caſpari Eraſmi Brochmanni* cap. 2 Qvæſtionem III. Art. de Creatione, nec non *Alexandri de Angelis* Libros V in Aſtrologos judiciarios Lugduni 1615 in lucem editos. Hactenus ad libellam veritatis cœleſtis expenſa ſunt Teſtimonia Scripturæ ſacræ novâ ϛρεβλῇ detorta a *Gaffarello* in ſeqviorem & a ſui indole & ſede propriâ alieniorem ſenſum: nunc calamum promovebimus ad *Teſtimonia* humana ſub incudem vocanda qvibus arachnæam ſuam Literaturam corroborare nititur *Olympicus Alphabetarius.*

SECUNDO: *Teſtimonia humana* qvod ſpectat: *Rabbi Aben Eſdræ* auctoritati opponimus *Kimchii* & *Rabbi Salomonis Jarchi* contraria ſuffragia. *R. Kimchium* audivimus: nunc *R. Salomonem* audituri, qvi ſic commentatur in Pſalm. 19: השמים מספרים כבוד אל המשורר עצמו פירוש
ארת הדבר אין אומר ואין דברים אינן מדברים עם הבריורת
אלא מתוך שבכל הארץ יצא קוום ומאורים לבריורת מתיך
כך מספרים הבריורת כבוד אל ומודים ומברכים על המאורורת
ומעשי ידיו מגיד הרקיע הכוכבים וארת המזלורת שהם מעשה
ידיו של הקב״ה ששרתם שם כמו שנא׳ ויתן אותם אלהים
ברקיע השמים ומשם מגידים כבודו: יום ליום יביע אומ׳
מעשה בראשירת מתחדש מיום אל יום לערב חמה שוקערת
וזורחת לבוקר ומתוך כך יביעו הבריורת אמרי שבח על ידי הימ׳
והלילורת

והלילות שמורים את הבריות לקלם ולהורות מנחם פתר יביע לשון מעין נובע : יחוה״ לשון הגדה : בכל הארץ יצא קוום״ קו השמים שהם נמתחים על פני כל הארץ ומחמת כן בקצה תבל מליהם שהכל מדברים בנפלאות שהם רואים : לשמש שם הב״ה אהל בהם בשמים מכאן שה שמש נתון בתוך תיקו תנחומא: Qvæ ſic verteris: *Cœli enarrant gloriam Dei. Res ipſa clara eſt ex ipſo Pſalte ſeu cantore.* 4. *Non eſt ſermo, nec ſunt verba. Non qvidem homines (creaturas) alloqvuntur, ſed qvoniam in omnem terram exit linea eorum, lucémq; hominibus præbent. Idcirco enarrant homines gloriam Dei, confitentur ac benedicunt propter luminaria: (Alludit ad precatiunculas qvasdam, qvibus Judæi bis aut ter ſingulis diebus manè præſertim & veſpere, ſcilicet ob lumen Solis ac Lunæ Deo gratias agunt) Et opus manuum ejus annunciat Expanſum, ſtellas videlicet, & planetas, qvæ qvidem opus ſunt manuum Dei Opt. Max. ibiq; ſunt, qvemadmodum dictum eſt, & poſuit ea Deus in expanſo Cœli indeq; annunciant gloriam ejus.*

Dies diei eructat ſermonem. Opus creationis ſingulis diebus renovatur, veſpere Sol occidit, manè autem oritur, atqve propterea eructant homines ſermones laudis dierum & noctium adminiculo qvæ qvidem illos erudiunt ut laudent ac celebrent. Porrò Menahem exponit Scaturit יביע *ex* מבוע נובע, *qvod ſcaturiginem ſcaturientem ſignificat.* יחוה *autem annunciat, indicat, &c.*

In omnem terram exiit linea eorum) Linea Cœlorum, qvi qvidem 33 ſuper univerſam terram extenduntur, & propterea in extremum orbis eloqvia eorum, unusqvisqve enim loquitur de mirabilibus, qvæ ipſe videt. Soli poſuit Deus Opt. Max. tabernaculum in ipſis: in cœlis, propterea qvòd Sol in quadam theca aqvæ plena, qvâ exiſtimant nimium ſolis ardorem temperari, alioqvin fore, ut univerſus orbis ſubitô incendiô pereat, qvemadmodum futurum eſt ex eorundem ſententia ultimis temporibus, qvando educturus eſt Deus Opt. Max. Solem ipſum e theca ſua.

Hæc commentatio *R. Schelomoh Jarchi*, qvanqvam haut pauca contineat, qvæ apud cordatos S. Scripturarum ſcrutatores aſſenſum non facilè merentur, præſertim refrigeratoria Solis theca, riſu potiùs qvàm refutatione digna: tamen cum ſententia, pro qva tanqvam aris & focis dimicat *Gaffarellus*, adverſâ fronte pugnat, imò ἐπίκρισιν noſtram ſuprà *Kimchii* Commentario ſubjunctam ulteriùs confirmat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Sed non ſolâ *Aben Eſdræ* auctoritate ſuam opinionem confirmat Gallicus cœleſtium characterum patronus; nubem qvaſi aliorum teſtimoniorum adducit, qvo id multitudine evincat, qvod unica veritas negat. Qvo fit, ut ad alios, ita ad virum nominis celebris apud Judæos R. *Moſen Ægyptium* ſe conferat, ſuffragium ejus impetraturus. Nos verò qvantâ fieri potuit induſtria evolvimus R. *Ben Meimon* מורה נבוכים, *Moreh Nebuchim, Doctor Perplexorum*; ſed ita, ut fruſtrà fuerimus in Literatura cœli invenienda, qvam indigitat *Gaffarellus*. Verùm indigitat tantùm & nominat auctorem, non ſignat locum, non Tractatum aut Librum, nedum paginam aut editionem, in qva opinio cœleſtis alphabeti a *R. Majemonide* confirmata extat. Qvid ſenſerit hic Rabbinorum coryphæus de cœlo, de aſtris, rotundîs verbîs edicit, qvando iis vitam & intellectum attribuit. Sed ipſum *Maimonidem* loqventem audiamus, cujus verba in יסודי התורה cap. 3. ita habent: כל הכוכבים והגלגלים כלן בעלי נפש ודיעה והשכל הם והם חיים ועומדים ומכירין את מי שאמר והיה העולם כל אחד ואחד לפי גדלו ולפי מעלתו משבחים ומפארים ליוצרם. כמו המלאכים׃ וכשם שמכירין הקב״ה כן מכירין את עצמן ומכירין את המלאכים שלמעלה מהן׃ ודעת הכוכבים והגלגלים מעוטה מדעת המלאכים וגדולה מדעת בני אדם; Id eſt, *Omnes ſtellæ & orbes animâ, ſcientia, intelligentiâ, vitâ & ſubſiſtentiâ præditi ſunt, atq; agnoſcunt eum qvi dixit*, (Deum) *Factus eſt mundorum qvisq; juxta magnitudinem & dignitatem ſuam, laudantes & celebrantes creatorem ſuum prout Angeli. Et ſicut Deum, ſic ſeipſos qvoq; cognoſcunt, & Angelos qvi ſunt ſupra ipſos. eſt autem ſtellarum & orbium cognitio minor Angelorum, major hominum.* Et mox Capite ſeqvente addit, *qvòd apprehenſionem habeant, id veriſſimum & rectiſſimum eſt ſecundum Legem qvoq; noſtram qvodq; non ſint corpora mortua, ſicut Ignis & Terra, (uti fatui & imperiti arbitrantur), ſed, ut Philoſophi loqvuntur, Animalia, qvæ colunt, laudant & celebrant Dominum, & Creatorem ſuum. Hinc dicit David*: Cœli enarrant gloriam Dei, &c.

Hæc, qvæ modò citavimus, R. *Maimonidis* verba, in ſui obſeqvium violentiùs trahit ſtrenuus reſtitutor cœleſtium characterum, ut ex iis Literas ſuas Aſtrologicas conformet. Sic enim ſcribit pag. 284 edit. Rothom.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Rothom. 1631: *Mais R. Moſes tres ſçavant Theologien, aſſeure que* ספר *ſaphar* RACONTER, *ne s'attribuë jamais aux choſes inanimees, c'eſt pourquoy il auroit aſſeuréque les Cieux ne ſont point deſtituez de quelque ame, qui n'eſt autre que les bien-heureuſes intelligences, qui conduiſant les Eſtoilles, & les diſpoſant és lettres que Dieu a ordonné, monſtrent aux hommes per ceſte eſcriture ce qu'il il leur doit arriver: & c'eſt la raiſon que ceſte meſme eſcriture eſt appellee de tous les Anciens* כתב המלכים *chetab hamelachim c'eſt à dire, Eſcriture de Anges: & remarquez que ce paſſage Cœli enarrant gloriam Dei, s'entend clairement de ceſte Eſcriture celeſte, puis qu'il ſuit incontinent; In omnem terram exivit linea eorum.*

Cujus Diſſertationis hic eſt ſenſus: Sed R. Moſes Theologus profundus aſſerit Saphar Enarrare, nunqvam rebus inanimatis attribui; qvapropter Cœlos haud eſſe animâ deſtitutos affirmavit, qvæ non eſt alia, qvàm beatæ intelligentiæ, qvæ ſtellas regentes, eaſq; in literas; qvas Deus ordinavit diſponentes, hac Scripturâ mortalibus futura oſtendunt, unde hæc eadem ſcriptura ab omnibus appellata eſt antiqvis כתב המלכים *Chetab Hamalakim, id eſt Scriptura Angelorum; Obſervandum autem hunc locum: Cœli enarrant gloriam DEI, clarè intelligi de hac cœleſti Scriptura, qvandoqvidem immediatè ſeqvitur: In omnem terram exiit Linea eorum.*

Varia animo veri percupido obverſantur in hac *Gaffarelliana* Diſſertatione, qvæ eundem dubium & ſuſpenſum detinere valent, qvæ ſub incudem longâ ſerie fuiſſent vocanda, ſi temporis anguſtia permitteret. E qvibus ſpicilegium parcâ tantùm manu legemus.

INITIO ferri haut debet vitiũ, cujus nomine juniores in noſtris ſcholis luerent. Etenim *Primò* a מַלְאָךְ formof *Gaffarellus* pluralem מְלָכִים, qvæ formatio erronea ſi firmo ſtaret talo, interpretationem mox falſam pareret, ut non Scriptura *Angelorum* ſed *Regum* appellanda foret. Qvamobrem ad analogiam Grammaticam hoc reducendum erit, ut reſcribatur כְּתָב הַמַּלְאָכִים *chetab hammalachim* locô כתב המלכים *chetab hamelachim*, qvod placuit *Gaffarello*.

DEINDE Cœlo animam aſſignavit eámq; non aliam eſſe voluit, qvàm *beatas intelligentias*. Hic error ipſâ vetuſtate obſoleſcit. Eqvidem nemini ignotum eſſe poteſt, qvi ſcripta Hebræorum, Græcorum & Latinorum evolvit, magnô conatu hoc ſeriò egiſſe antiqvos, ut & eos ſeqvu-

 ti non-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ti nonnulli novi ſcientiarum antiſtites, ut cœlum animarent. Hæc *Ariſtotelis* fuit opinio lib. 1 de cœlo: id qvod etiam *Simplicius* in lib. 3. comm. 10. de *Ariſtotele* fatetur. Hoc ex lib. 10 Metaph. clariùs patet, ubi traditum eſt ſubſtantiam immobilem ac perpetuam & a materiâ ſeparatam cœlum movere, ut id, qvod cadit ſub intelligentiam. *Averroës, Themiſtius, Philoponus, Alexander* cœlos etiam animâ donârunt. Platonicis, qvi Hebræorum & Ægyptiorum dogmata ſeqvi volupe ducunt, idem placuit. Neutiqvam ſubibit alicujus animum admiratio, cœlis tribui animam, cùm ne qvidem Ægyptii & Phœnices ſibi temperârint, qvin terræ animam indiderint. Qvô factum eſt, ut arbitrati ſint omnium animantium genera vi ſolis e terra fuiſſe procreata. Imò eò audaciæ progreſſus eſt *Thomas Campanella*, ut qvatuor libris demonſtrare haud veritus ſit *mundum eſſe Dei vivam ſtatuam, benè cognoſcentem atqve omnes* ejus partes ſenſu donatas eſſe. Videatur de Senſu rerum & Magia, cujus tractatum *Thomas Adami* recenſuit & edidit Francofurti Anno 1620. Ceterum Platonici cœleſtibus ſphæris non qvaſvis animas affixerant, ſed præſtantiſſimas.

Horum cœcutientium ducum veſtigia ſeqvutus *Gaffarellus*, priùs animam cœlis affingit, qvàm Angelis aut Intelligentiis, ut loqvuntur, cœleſtibus gubernaculum ſtellarum tradit, eiſq; novum munus diſponendi aſtra in literas attribuit.

Qvòd ſi verò iis anima eſſet attribuenda, ſeqveretur *primò*, qvod cæleſtis anima intelligens non ſecus cælum Univerſum occuparet. *Secundò*, eſſet cæleſtis anima non ſolùm virtutis, ſed & vitii capax, frueretur aliqvando vel gaudio cæleſti, vel apud Inferos lueret pœnas, qvæ hominum & Angelorum propria eſſe ſolent. *Tertiò*, verendum eſſet, ne cœli animâ intelligente præditi cultu indebitô afficerentur contra divinum interdictum, qvod deſcriptum extat Deuteron 4, v. 19. *Qvartò*, ſi ſtellis anima libera ineſſet, huc atqve illuc ſine ulla neceſſitate paſſim ferrentur, ſicut animantia in terris: qvorum qvia anima liberas edit actiones, huc atqve illuc pro libitu ſe movent &c. Hoc *Lactantii* argumentum qvod legere licet lib. 2, Inſtit cap. 5 probant alii Patres, *Baſilius, Ambroſius, Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Epiphanius*, & alii, qvi *Origenem* eô nomine reprehendunt, qvod cælis & aſtris animam inditam voluerit. In primis autem *Damaſcenus* lib. 2. de fide Orthod. cap. 6 va-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

rios Sacrorum monumentorum locos exponit & tuetur, e qvibus minùs dextrè intellectis aliqvis poſſet ſibi perſvadere cœlos & ſtellas animâ gaudere. Confer *Thomam Gianninium* Ferrarienſem de ſubſtantia cœli & ſtellarum efficientiâ, cujus diſputationes Ariſtotelicæ editæ ſunt Venetiis Anno 1618.

His adde qvæ *Alexander de Angelis* lib. 1 in Aſtrologos conjectores ſcripſit cap. 13 de Cœlo in animo p. 27, 28. edit. Lugd. 1615: ubi novis argumentis impugnat *Animam*, qvam *Julius Firmicus*, *Bellantius*, *Marſilius Ficinus*, *Carpentanus*, *Auguſtinus* Niphus, *Achilleus*, *Xenocrates* apud *Tullium* lib. 1 de natura Deorum, *Plinius* l. 2 de nat. hiſt. cap. 8, aliiq;, qvorum longum catalogum texuimus ſuprà, cœlo aſcribunt. Noſtra varò argumenta maximam partem ſuperiùs petita ἐκ τῶν ἀτόπων communia ſunt a *Gianninio* aliisq; ante nos adducta contra inveteratam opinionem antiqvorum pariter & novorum Scriptorum de Anima Cœlorum & Aſtrorum non modò aſſiſtente, ſed etiam intelligente atq; motrice.

Qvænam verò propria & privata noſtra ſit ſententia de hoc dogmate, qvod longâ Judæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Latinorum, Platonicorum manu magnaq; ſtudiorum contentione traditum accepimus, paucis ediſſertabimus ex illo principio, qvod certum & indubitatum eſt. Certos autem & ſecuros nos reddet illud verbũ, qvod os Dei loqvutum eſt. Qvando igitur ſic dixit Elohim: יְהִי מְאֹרֹת *Sit* (ſint) *luminaria* Gen. 1, v. 14; & cùm dixit: יְהִי רָקִיעַ *ſit extentum*, omnipotentiſſimo ſuô verbô, qvô cuncta adhuc ſuſtentat Hebr. 1, v. 4 indidit cœlo & aſtris eſſentialem formam ad edendum debitas & proprias ſuæ naturæ & indolis actiones. Hæ actiones, hæc munia ſeorsùm deſcripta ſunt a Moſe cap. I Geneſeos. Rakia ſeu cœlum qvidem hoc proprium & peculiare agnoſcit munus, qvòd *dividat aqvas, qvæ ſub extento cœlo ſunt ab iis, qvæ ſunt ſupra illud* Gen. 1, v. 6, 7: Lumina verò hoc munere funguntur, ut diem a nocte diſtingvant, tempora, dies, annos conſtituant, illuminent Univerſum Gen. 1, v. 14, 15. Qvæ munia non modò מְאֹרֹת magna luminaria, ſed etiam הַכּוֹכָבִים ὀχήματα τοῦ φωτὸς, ut verbis *Baſilii* utamur, receptacula lucis illuſtria a primordio conditarum ſtellarum jugi adeo ſtudiô obierunt, ut a fictarum *Intelligentiarum* motrice ope, qvas *Gaffarellus*

Ani-

Animas vocare novô auſu haut veretur, planè ab eo tempore huc uſq; fuerint immunia. Etenim cùm maxima animæ vis in motu cernatur, & is ab ipſo Deo & ejus Spiritu non *Intelligentiis* tanqvam motricibus aſſignatus deprehenditur, nec orbibus, quos illæ circumducere finguntur, ſed ipſis aſtris tam majoribus qvàm minoribus: manifeſtum evadit haut opus eſſe Soli, Lunæ & ſideribus illud aliunde petere, qvod poſſident. *Egreditur*, inqvit David, (ſol) *tanqvam ſponſus de thalamo ſuo, exultat inſtar gigantis curriculum conficientis, ab extimis cœlorum plagis exitus ejus, & revolutio ad extrema climata eorum: nec qvicqvam ab ejus calore abſcondi poteſt* Pſal. 19, v, 6, 7. *Oritur Sol & occidit, ad locum ſuum ortus feſtinat, vadit ad meridiem, circuit aqvilonem* Eccleſ. 1, v. 5. Hic motus Formæ ſolaris evidens τεκμήριον oſtendit a primo JEHI & efficaciſſimo per verbum divinum impreſſo ESSE ortum & originem trahere qvicqvid in Sole mobile, calidum, illuſtre, vigoroſum, expeditum exiſtit, non autem ex affictitia *Intelligentiarum* motrice facultate. Confer Pſal. 104, v. 19, Eſai. 38, v. 8, Habacuc. 3, v. 11.

Tertiò, qvòd beatæ intelligentiæ Stellas regant, & eas in literas diſponant, dogma eſt planè carens fundamentô Prophetarum & Apoſtolorum, & alienum a fide Chriſtianâ, qvam Scripturæ ductum ſeqvuti infallibili aſſenſu confitemur. Etenim qvodnam ſit *Angelorum*, ſive uti *Gaffarello* loqvi placet, *Intelligentiarum* munus, nemini obſcurum eſſe poteſt, qvi vel primoribus labris fontem Iſraelis deguſtavit. Pſ. 103: *Benedicite Domino Angeli ejus, valentiſſimi robore, efficientes verbum ejus, auſcultantes voci verbi ejus. Benedicite Domino omnes exercitus ejus, miniſtri ejus facientes placitum ejus.* Sic *Pſal.* 34, v. 8, & 91, v. 11 collat. cum *Matth.* 4, v. 6, Eſa. 6, v. 3, Daniel. 7, v. 10, Luc. 2, v. 13, 14, Hebr. 1, v. 14.

Hæc ſunt munia *Angelorum* verbis Spiritus Sancti perſcripta, nullibi verò memorantur occupati in diſponendis Stellis, ut evadant literaria lectionis organa, nedum ut habeant Intelligentias ſeu animas ſibi & ſuo motui additas adjutrices. De qva aſtrorum *Anima* nemo prolixiùs egit qvàm *Aſcanius Martinengus* in Gloſſa magna in Geneſin Patavii 1597 edita, ubi a pagina 877 ad 893 de hac re copioſè diſſerit. Sed ſententia ejus definitiva duobus momentis comprehenſa omne punctum vix latura erit, ſi ad libellam cœleſtis veritatis expendatur.

Hæc antiqvorum erronea opinio de *Cœlis* & *Aſtris animatis* tantò ſtudio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

dioſiùs vitanda erit, qvantò periculoſius eâ abuſa eſt non tantùm veterum ætas, ſed etiam noſtrum ſæculum vanæ & ſuperſtitioſæ novitatis avidum eâ abuti haut reformidat. Qvia enim *Angelicas iſtas Intelligentias* motibus cœlorũ non modò aſſiſtere, ſed etiam eorundem virtutes moderari,& partiri in hæc inferiora putant, excogitârunt ductum ſecretioris cujuſdam Philoſophiæ ſeqvuti, varias Figuras easq; amuletis & ſigillis impreſſerunt, atqve *Intelligentiarum* imperio accommodârunt & ſubjecerunt. Cencludimus igitur verbis *Athanaſii Kircheri* ex Oedipi Ægyptiaci Tom. 1. Claſſ. 5. cap. 10. pag. 400. Edit. Roman. *Tradunt Hebræi 4 mundos, qvorum influxibus ex uno in alterum factis, univerſa Mundi machina conſiſtat; tradunt & hos Saraceni, uti ex iis qvæ dicta ſuut colligi poteſt. Fingunt vel potius affingunt Hebræi ſingulis mundis ſuos præſides Angelos, affingunt & hos Saraceni; ita qvidem ut non ſit ullum cœlum, neq; ulla ſtella aut firmamenti ſtatio, cui non ſuos Genios deputent: hinc in 12 ſignis Zodiaci, 28 manſionibus Lunæ, 7 Planetis, 4 Elementis, in ſingulis ſuam Potentiam influxuum ſupernorum adminiſtratricem, unà cum litera divini alicujus nominis radice, conſiderant; qvibus magna & mirabilia ſe præſtare poſſe jactitant. Ægyptii verò, qvæcunq; aut Hebræi, aut Saraceni, per literas; per occultas & abditas Symbolorum hieroglyphicorum ſignificationes præſtiterunt, uti in ſeqventibus fusè oſtendemus. Ex qvibus apertè patet, omnem hanc ſuperſtitioſam philoſophandi rationem non aliam originem habuiſſe qvàm ab Ægyptiis: cum enim Hebræi Ægyptiorum conſvetudine multa, uti in primo Tomo oſtendimus, delectarentur, eorumq; ſapientiam tot occultis imaginum ſymbolis expreſſam unicè ſuſpicerent; neq; tamen, legis prohibitione, per imaginum humanum aut brutale qvid repræſentantium ſimilitudines, eam tradere auderent; impuniùs hanc literis exhibuerunt: qvos ſeqvuti deinde Saraceni, hanc execrandiſſimis ſuperſtitionibus ita commacularunt, ut ea publica totius Magicæ ſuperſtitionis officina facta ſit, uti ex iis, qvæ hucusq; demonſtrata ſunt, luce meridianâ clariùs patet.*

Qvod ſi hujus rei exempla deſideres, adeas *Johannem Reuchlinum* de Arte Cabaliſtica & Verbo mirifico, *Archangeli* Commentat. in dogmata Cabaliſtarum, *Agrippam*, Libros ſeptem *Philippi Theophraſti Paracelſi*, qvi x Tomo Operum Baſileæ editorum 1590, pag. 67 ſeqv. juſtô licentiùs in Archidoxi Mag. figuras ejuſmodi tractat, *Cabalam Hebræorum*, qvam *Kircherus* in Oedipi Ægyptiaci Gymnaſio Hieroglyphico Claſſe 4 cap. 9, pag. 331 ſeq. plurimis exemplis illuſtrat, e qvi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

bus unum ſelegiſſe ſuffecerit, ex qvo qvid de aliis ſit judicandum, facilè perſpici poteſt.


Abacus qvaternarii ſacri, tetracty Pythagorico reſpondens.

	ה	ו	ה	י
Progreſſio numerorum	1	2	3	4
Geometrica qvantitas	*Punctus*	*Linea*	*Superficies*	*Corpus*
	א	מ	ש	☼
Tres literæ, Matres dictæ	*Aleph*	*Mem*	*Schin*	*Circulus*
4 *Elementa*	*Terra*	*Aqva*	*Ignis*	*Aër*
4 *Agathangeli*	*Ariel*	*Tharſis*	*Seruph*	*Cherub*
4 *Spiritus*	*Mahaziel*	*Azael*	*Samael*	*Azazel*
4 *Anni tempora*	*Autumnus*	*Hyems*	*Æſtas*	*Ver*
4 *Portæ cœli*	*Bethel*	*Hebron*	*Hieruſalem*	*Mare*
4 *Partes Mundi*	*Occidens*	*Oriens*	*Meridies*	*Septentrio*
4 *Angeli Præſides*	*Raphael*	*Michael*	*Uriel*	*Gabriel*
4 *Flumina Paradiſi*	*Euphrates*	*Phiſon*	*Geon*	*Tigris*
4 *Venti principales*	*Favonius*	*Subſolanus*	*Auſter*	*Aqvilo*
4 *Spiritus præſides*	*Paymon*	*Oriens*	*Ammonius*	*Egyn*

Qvamvis hæc oculis blandiantur pulcrâ qvadam εὐταξίᾳ, nulli tamen rei verè conducunt, niſi qvod ad ſuperſtitionem manuducant homines majori vanitatis amore effaſcinatos, qvàm ſolidę veritatis ſtudiô ductos. Luxuriant hujuſcemodi Figuris & nominum ordinatô ſitu Cabaliſtici He-

Hebræorum Scriptores, a qvibus hęc Literarum & Figurarum concinna crepundia immane qvantum amentur & æſtimentur, iisq́; uſibus nonnunqvam accomodentur, qvorum nec vola nec veſtigium ullum in tabulis N. aut V. Fœderis viſitur.

Paucis abhinc annis moneta qvædam, cujus materia orichalcum, nobis ab amico donabatur variô characterum qvatuor, qvibus Tetragrammatum JEHOVA conſtat, ſchemate pulcrè ornata, eô fine, ut ejus expoſitionem adornaremus, qvippe cùm characteres in eam inciſi ſint Hebraici, noſtræq; tunc Profeſſionis proprii. Hujus *Monetæ* Schema publicis oculis heic ſubjicimus:



Ecce audacem metatheſin qvatuor characterum, qvibus illuſtre *Tetragrammaton* conſtat: qvæ certè nil niſi merum vanumq́; ingenii otiô luxuriantis luſum oſtentat. Si ludendum erit, aut locô digitorum micandum ſit *Literîs*, in alio profanæ *Literaturæ* genere exerceatur ars luſoria, qvàm in illo nomine ipſius Dei, qvod Judæi tantopere venerantur, ut nominare illud non auſint. Cùm igitur ſacratius eſſe arbitrentur, qvàm ut humanô ore præſumptuoſiùs prodatur auguſtiſſimum hoc nomen: cur adeo irreligioſus eſt eorum calamus erga nomen JEHOVÆ ter venerabile, ut neutiqvam ſibi temperet, qvin ejuſdem *Literas* licentiùs transponat, ac ſi aleam in alveo luſorio verſaret? Num conſonantes hujus vocabuli diverſimodè disjectæ majori efficaciâ præditæ ſint, qvàm ſi ſuam qvæqve ſedem obtineant ſyllabarum conſtituendarum causâ? num multitudo locorum, varietas ſitus & aleatoria mutatio earundem Literarum majorem vim habitura erit, qvàm nomen יהוה unicâ vice,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

unô locô debitè ac decenter ſcriptum? Et qvid qvæſo cauſæ eſt, qvòd tantâ ſcribendi, transponendi licentia hìc cernatur abſq; omni pronunciationis uſu? Qvamobrem probare nec poſſumus nec debemus ſuperſtitioſum illud mutatorum elèmentorum commentum, qvô hujus monetæ auctor ſe oblectavit, & illuſtriſſimum *Tetragrammatum* deformavit.

Porrò hoc miſsô ad alia conqviſita *Gaffarelli* teſtimonia manum promovebimus. *Originem* ad partes vocat, locum tamen non expreſsè ſignat, in qvo is cœleſtem Scripturam confirmat. Nos verò ex Bibliotheca *Sixti Senenſis* eundem adducemus.

Origines, inqvit *Sixtus*, *qvi in Tomis explanationum in Geneſin oſtendens ex hac eadem narratione, qvòd in aſtris cœli, veluti in libris omnium humanorum eventuum prænotiones legi poſſunt a peritis ſiderum inſpectoribus, ſic inqvit: Univerſum cœlum eſt qvaſi liber qvidam apertus, omnia futura in ſe conſcripta continens, idcirco in oratione Joſeph ſic intelligi poteſt, qvod a Jacob ad filios dicitur, Legi in tabulis cœli qvæcunqve contingent vobis & filiis veſtris.* Hæc *Sixtus*.

Euſebium etiam indigitat cœleſtis literaturæ Promus ſine expreſſa loci mentione. Nos ſupplebimus hunc defectum, qvippe qvum Lib. VI Præparat. Evangelicæ num. 11, pag. 292, edit. Pariſienſis 1628 obſervemus ſic ſcripſiſſe *Euſebium*: Διόπερ ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Ἰωσὴφ, δύναται οὕτω νοεῖσθαι τὸ λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Ἰακώβ, Ανέγνω γὰρ ἐν ταῖς πλαξὶ τοῦ οὐρανοῦ, ὅσα συμβήσεται ὑμῖν, καὶ τοῖς υἱοῖς ὑμῶν: *Itaqve hunc in modum intelligi poteſt, qvod in Joſephi precatione a Jacobo dicitur; Legi in tabulis cœli, qvæcunqve accident vobis & filiis veſtris.*

Sed ipſum *Gaffarellum* diſſerentem audiamus num. 3, pag. 590 edit. Pariſ. 1629. *Or apres les Prophetes tous les plus habiles des Anciens ont à leur imitation appellé les cieux LIVRES SACREZ, comme des Hebreux, R. Simeon Ben-Jochaij dans le Zohar, ſur la Seſſion Temourah, qvi eſt le 25. chapitre de l'Exode, chifre 305. où il parle amplement de ceſte eſcriture cœleſte, mais fort obſcurement: Abraham dans ſon Jetſira, ou livre de la Creation, en advance auſſi des Myſteres, & apres eux R. R. Moſes l'Egyptien, Moſes fils de Nachman, Abraham fils de Dior ſon contemporain, Aben Eſra, David Chimchi, Jom tof fils d'Abraham, Joſeph fils de Meir, Levi fils de Gerſon, Chomer, Abarbanel, & un bon nombre d'autres que je ne cotteray poin pour venir aux Grecs, & aux Latins qui ſeront par aventure mieux reçeus.* Mox nonnulla addit ex *Origene*, qvibus memorandis nos non immorabimur, lectorem remittentes ad ea qvæ attu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

attulimus ſub finem pag. 183 & initio ſeqventis 184. His ſubjungit auctoritatem *Julii Sireni* Lib. 9, de Fato cap. 35, *Auguſtini* Lib. 2 contra Manichæos cap. 21. *Neqve*, inqvit *Auguſtinus*, *in illis corporibus cœleſtibus hic latere poſſe cogitationes credendum eſt, qvemadmodum in his corporibus latent, ſed ſicut nonnulli motus animorum apparent in vultu & maximè in oculis, ſic in illa perſpicuitate ac ſimplicitate cœleſtium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror.* Pag. 592 adduntur his ſuffragia *Ambroſii* Epiſt. 8 ad Demetr. item de vera Relig. 3, & in Pſal. 41. itidem *Proſperi* de mirabil. & de fid. ortho. lib. 3. cap. 1, qvi Cœlos *paginas* & *inſtructiones mirabiles* appellant. *Alberti Magni*, cui cœlum *Liber* eſt *univerſalis*, & deniqve *Johannis Damaſceni*, a qvo cœli *clara ſpecula* nominantur. Mox omnium Platonicorum fidem hic implorat. *Porphyrius*, inqvit, *cùm e medio ſe tollere conſtituiſſet, tunc Plotinum in aſtris ejus propoſitum legiſſe eiq; hoc crudele facinus diſſvaſiſſe.* Nec *Orphei* tuſtudinem intactam relinqvit, qvin eam in fabricæ literariæ ſocietatem adſciſcat, citans hæc Orpheï verba:

—— Σὴ μὲν ἐν ἄστροις
Τάξις ἀναλλάκτοισι ἐφημοσυναῖσι τρέχουσα.

Certus tuus ordo
Immutabilibus mutatis currit in aſtris.

Qvibus qverelam ſubjungit pag. 593, Bibliothecas qvidem variis voluminibus obrui, vix tamen qvinqve aut ſex repertos fuiſſe Scriptores, qvi curioſæ hujus Scripturæ mentionem fecerunt, qvæ, judice *Gaffarellô*, Theologo cuivis curioſo & Aſtrologo cum primis eſt cognitu neceſſaria. Et ut nihil dicamus de *Cornelio Agrippa*, de qvo nos ſuprà nonnulla ſcripſimus, *Pierio Valeriano*, *Vignerio Blaſio*, *Banello Italo*, adducit *Capnionem & Picum Mirandulanum*, ſuperioris ſæculi lumina. Horum autem cum nec loca nec verba adducat, nos qvæ legendo obſervavimus, publicis oculis non ſubducemus. *Comes Mirandulanus* Lib. VIII in Aſtrologiam, cap. 5 ſic Scribit: *Hebræorum magiſtri, ſicut imagines ſuas Aſtrologi, ita ſuum in ſtellis Alphabetarium, hoc eſt, ſuæ lingvæ notas & elementa invenire contendunt, nec ſi credulos oculos nanciſcantur, minùs hoc poſſunt illi probabiliter, qvàm de imaginibus Aſtrologi perſvadere. Qvid pluribus opus eſt, ibi omnes formæ, omnes effigies, qvare nullæ ibi formæ, nullæ effigies, omnes poteſtate & arbitrio hominum, naturæ & veritatis actu nullæ. Qvòd ſi ibi ſaltim noſtri divinaculi auguſtarum qvædam rerum & ſublimiorum ſimulacra confinxiſſent, faciliùs ego qvi-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

dem inducerer, ut non tam eorum & contra naturam, qvàm Dei opera mihi viderentur. Sed cùm illius conſilium & ſapientiam animadverto, non video, cur illud divinitatis templum, illa atria cœli, melioribus non potuerit aut noluerit imaginibus inſignire, &c. Pauca in eandem ſententiam prodidit *Reuchlinus* de Arte Cabaliſtica Lib. 3, pag. 724 edit. Baſiliens. *Fiant luminaria in firmamento cœli. Nimirum illa extenſio in modum pellis tanqvam literis inſcripta luminaribus & ſtellis propter localem expanſionem dicitur Rakia, qvod nos a firmitudine firmamentum apellamus.*

Poſtqvam *Capnionem* & *Mirandulanum* alioſq; velut emiſſitiô oculô ſpectandos propoſuerat, calamum promovet ad *Robertum Flud* & *Poſtellum*. Ex illius apologet. Scripto edit. Lugd. Batavorum anno 1617 hæc adducit: *In cœlo inſerti & impreſſi ſunt hujuſmodi characteres, qvi non aliter ex Stellarum ordinibus conflantur qvàm lineæ Geometricæ & literæ vulgares ex punctis, ſuperficies ex lineis, & corpus ex ſuperficiebus.* Concludit autem ſi characteres hi legi poſſint non ſolùm cuncta futura, ſed etiam cuncta ad Philoſophiam ſpectantia cognoſcerentur ab iis, cui hæc *lingva* & *Scriptura* innotuit.

Præ omnibus autem Scriptoribus, qvi de his cœleſtibus characteribus ſunt loqvuti, ſolus *Poſtellus*, judice *Gaffarello*, laude cognitæ *Cœleſtis Scripturæ* claruit, cui fidem facit periculum ejus rei a Poſtello factum & adductum in Tractatu *Jetzira*: *Si dixero*, inqvit *Poſtellus*, *me in cœlo vidiſſe in ipſis Sanctæ Lingvæ characteribus ab Eſra primùm publicè expoſitis, ea omnia qvæ ſunt in rerum Natura conſtituta, ut vidi non explicitè ſed implicitè, vix ullus mihi crediderit, tamen teſtis Deus & Chriſtus ejus, qvia non mentior*, Idem *Poſtellus* in Lib. de Creatione ſic ſcripſiſſe memoratur: *Decreti igitur ſunt demum delineati ſuisqve Figuris adumbrati igne divinô in aqvis cœli ſcilicet expreſſo ſancti characteres, & tantâ virtute in cœlis expreſſi, ut poſſit etiam veritas futurorum haberi, cujus ſcientiæ adhuc veſtigium in Marocho & multis aliis Iſmaelitarum civitatibus, licèt ſint apud eos valde depravatæ & adultetatæ Figuræ ſanctæ.*

Ut autem hoc inuſitatum & grande αἴτημα aſſenſum publicum tantò faciliùs impetraret, e *Joannis Leonis* hiſtoria Africana ſubſidium ſibi comparavit. Hunc autem memorat tradidiſſe ex Albonis Arabis volumine primô, qvod inſcribitur ELLYMAHEMORAMITH, qvomodo Arabes ſuas Conſtellationes *Literis Arabicis* conſignare ſoliti ſint,

qvas Arabes Eremitæ libenter portant, ut poſtea regulis cum *Zairagia* vel divinationibus applicent.

Hæc ſunt Teſtimonia citerioris ævi, qvæ *Gaffarellus* e ſcriptis Chriſtianorum Doctorum conſarcinavit, ut fidem faceret characteribus olympicis. Qvæ ita comparata eſſe animadvertimus, ut aut *metaphoricum Librum & characterem* deſignent, aut ab iis profecta auctoribus, qvorum fides neutiqvam tanti facienda eſt, ut publicum aſſenſum mereatur.

De priori genere humanæ auctoritatis liceat nobis uſurpare illud, cujus meminit *Tripartita Hiſtoria, teſte Hyperio: Cùm* Antonius *eremi in Ægypto incola a qvodam Philoſopho interrogaretur, qvomodo res tam ſublimes contemplaretur, qvi omni Librorum chartaceorum eſſet deſtitutus ſupellectile? prudenter reſpondit: Univerſum hunc mundum librorum & inſtructæ Bibliothecæ vice eſſe, hanc omni tempore & ubivis locorum præſtò exiſtere, in eadem ſe res divinas & cæleſtes lectitare.* Diu ante hunc *Antonium Clemens Alexandrinus* Stromat. lib. 6 definit *mundi Creationem* eſſe *Dei ſcripturam*, ac Decalogi præcepta eſſe in rebus naturalibus promulgata, legíqve poſſe. His ſuffragatur D. *Chryſoſtomus* in priorem epiſt. ad Corinth. hom. 7, item illâ de Jejunio & lectione Geneſeos, nec non illâ ad populum Antioch.

Hunc loqvendi modum ut multi eruditi uſurpâſſe deprehenduntur, ita *Andreas Hyperius* Lib. 1. de Sacræ Scripturæ lectione & meditatione omnibus omnium ordinum hominibus Chriſtianis perqvam neceſſariâ, cum primis hujus Libri mentionem notatu dignam facit, qvæ ſic ſonat pag. 29, 30 Edit. Baſil. 1561: *Etenim libros ex qvibus potentiam ac voluntatem divinam homines omni tempore diſcerent, Deus ipſe duos parentes & multiplici doctrina refertos in omnium conſpectu ſtatuit. Alter qvidem eſt mundus hic univerſus, qvi a nobis incolitur, ac ſenſibus qvantus eſt undiq; perluſtratur: alter verò eſt Verbum Dei, ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum voluminibus comprehenſum. Qvorum duorum librorum dignitas atq; auctoritas longè eſt ampliſſima: utpote in qvibus oracula ac monumenta reperiuntur, qvæ nos non erudiant modò, verùm etiam ad præſtandum omne officium arcano qvodam modo inſtigant.*

Atq; de priore Libro ut aliqva hic interponam, qvis obſecro, cùm ſplendidiſſimam mundi machinam cum ſuis partibus, tam oculis qvàm mente intuetur, non incipit ſtatim cogitare, potentiſſimum, ſapientiſſimum, optimum neceſſariò eſſe, qvi hæc omnia mirabiliter condidit ab

initio?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

initio? longè verè mirabiliùs conſervat, & ſapientiſſimè moderatur? Cœli, inqvit *Rex* & *Pſaltes Hebræus* Pſal. 19 (cur enim non potiùs a ſanctis vatibus qvàm a *Cleanthe*, de qvo apud *Ciceronem*, vel qvovis alio Philoſopho idoneas rationes mutuemur?) *enarrant gloriam Dei, & firmamentum annuciat manuum ejus operationem.*

Adprimè verò huc qvadrat expoſitio horum verborum, qvam *Simeon de Muis* Hebræarum literarum Pariſiis olim Profeſſor Regius Commentar. in Pſalmos his verbis, edoctus ab *Aben Ezra*, adduxit: *Ezra*, Linea eorum, exponit *Scriptura eorum. Certè bene convenit Scripturæ cum verbis, qvorum mox mentio fit in ſeqvente membro, at ſic ſenſus eſt perſpicuus, in cœlis tanqvam in volumine, Dei gloriam omnibus legendam proponi, ac ſimul illis qvodammodo inditam eſſe vocem, qvæ ad omnium aures perveniat.*

Ceterùm, cùm non nemini gratum fore confidimus cognóſcere, qvâ ratione tot Interpretum & ſententiarum divortia, qvot oſtendimus ſuprà QVARTI MOMENTI pag. 150, 151 in τῶ קו Kav qvaſi adverſis frontibus concurrere, circumſpectè, commodè Scripturis & indoli vocum convenienter qveant componi: nos ſeqvuti veſtigia *Simeonis de Muis*, qvæ jam viſa ſunt, ſedulam dabimus operam, ne noſter conatus etiam in hac IRENE Hermeneuticâ deſideretur, exordium facturi a Λέξει vocū, & deſituri earundem Ἑρμηνείᾳ. Sed priùs præmonſtranda apparens *diſcordia*, cui *concordia* noſtris curis inveſtiganda σὺν θεῷ ſuccedet.

Qvi primus omnium Doctorum Europæorum baptiſimi teſſerâ CHRISTO JESU initiatorum Eberinarum vocum λέξιν expendere & *Latinè* interpretari cœpit Jo. REUCHLINUS PHORCENS. *Doctor Juris, Comes Palatinus Lateranus, Maximil. Imper. & Eberhardi primi Wirteberg. Ducis Conſiliarius, totius Sveviæ Triumvir*, & monumentum exegit Anno JESU CHRISTI 1606 ære perennius, Hebraicam dictionem קו *Kav* in Rudimentis Lingvæ S. exponendam cenſuit *Normam, Lineam, Directorium, Perpendiculum.* Qvam λέξιν Pſalmi Davidici ſono ſic accommodavit. Pſalm. XIX (verba Reuchlini) *In omnem terram exivit* ſonus *eorum*: *rectiùs* Norma, directio, regula, ædificatio & architectonia eorum. Hujus λέξεως interpretamentum ſeqvitur *Pagninus* in ſuo Lex. ed. a Rob. Stephano 1548 in 4°, niſi qvòd addat, *filum*, & dictô Eſa. 18, 2 illuſtrat: Gentem קו־קו *lineatim operantem*. R. David, paulatim, metaph. a cæmentario. Ut n. cæmentarius extenſâ lineâ facit ordinem, & ſupra illum

illum iterum extendit, ut faciat alium ordinem, donec paulatim perficiat opus: ſic mens ſenſim perficiunda & Evangelium promovendum. Sed in אוצר לשון הקודש Theſauro Lingvæ Sanctæ [qvi operâ *Merceri*, *Cevallerii* & *Bertrami* Lugduni 1575 editus eſt] *Mercerus* qvidem utitur labore *Johannis Forſteri* tanqvam ſuô, qvando radicis קוה expoſitionem hanc affert, *Verbum eſt magnô animi deſideriô in aliqvem intentum eſſe, reſpicere & ex eo pendere*: ſupprimit tamen more ſuô nomen magni *Forſteri*. Sed ipſe *Forſterus* in ſuo Dictionario Hebr. 1564 hujus dictionis קו intimiorem indolem ita eviſceravit, ut poſteris pæne otium facere viſus ſit. Nam 1 hâc biliterâ voculâ ait ſignificari *applicationem animi ad rem aliqvam*, 2. *Funiculum menſorium*, qvi ad materiem ſeu ad ædificia ipſa applicatur, & qvô rectè menſurantur regiones terrarum. Qvando autem *Mercerus* & *Cevallerius* tacitè perſtringunt *Forſterum*, qvòd Eſa. 28, v. 10 קו vertat *expectationem & animi applicationem*, pugiones ſtringunt in propria viſcera. *Vulgata n. Verſio* hâc ſtrigili læditur, qvæ exponit: *Expecta, reexpecta*. Nec non 72 *Interpretum* ſpes incautiùs ſic decollat, qvi interpretantur, προσδέχου ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι. Sed ad lineam. *Reuchlinus* in ספר יאיר נתיב Capitibus Concordantiarum Hebr. *R. Mardochai Nathan* a ſui ipſius interpretatione non abit, nec a primo veſtigio, qvod ſignavit *Reuchlinus Sebaſtianus Munſterus* in ספר השרשים, nec *Avenarius* in Dictionario Heb. 1519, nec *Marcus Marinus* in תבת נח *Arca Noe*, h. e. *Novo Theſauro Lingvæ ſanctæ* Venet. 1593, niſi qvòd hanc præ reliqvis peculiarem conjecturam ſibi vendicet, opinatus a collectione קו dici, *qvia* (inqvit) *funiculus ex multis filis congregatis effectus*. Sed פתיל huic vocis etymo magis convenit, qvô utitur *Ezechiel* c. 40, v. 3, qvíqve ſignificat *funem arctiùs intortum*, teſte *Plantavitiô* Lodovenſium in Gallia Narbonenſi Epiſcopo in Theſauro Synon. Hebr. Chald. Lodovæ edit. 1644. Vel etiam עֲבוֹת (*funis denſus ſeu rudens* Pſal. 129, v. 4) magis heic erit appoſitum.

Nemo tamen קו amuſſis architectonicæ & perpendiculi nautici uſum explicatiùs nobis exhibuit *Valentinô Schindlerô*, qvi edit. Hannov. 1612, pag. 1595, ita hanc vocem explicat: Nom. קו *Linea, filum lineum, funiculus tenuis, qvem miniô, cretâ aut atramentô imbuunt fabri, ut lineam rectam ducant, cujus ductum ſeqvantur in materia exæqvanda & complananda. Amuſſis,*

funiculus cretâ aut rubricâ illitus, qvo dirigunt ſaxa aut ligna: libelli, perpendiculum, inſtrumentum, qvô filô plumbo appenſo explorat ſtructuræ in altum rectitudinem. Funiculus tam ædificii qvàm dimenſionis; in bonum, ædificandi causâ, in malum, deſtruendi ergò. Hæc *Schindleri* interpretatio appoſitè qvadrat hodiernis inſtrumentis, qvibus utuntur ſtructurarum & manualium artium periti artifices.

Qvi Literarum Hebraicarum ſtudia excolenda & ornanda ſummîs vigiliis & laboribus ſuſcepit *Johannes Buxtorfius* in Lex. Hebr. vulgari vocis expoſitioni nil addidit, niſi qvòd putârit qvòd etiam reddi poſſet *delineatio*. *Bartholomæus Scheræus* in Itinerario in Pſalterium Davidis Hebr. edito Witenbergæ 1624, *Daniel Schventerus* עֹמֶר שְׂפַת הַקֹּדֶשׁ hoc eſt, *Manipulo lingvæ ſanctæ* Noribergæ edito 1624, *Paulus Toſſanus* in Syllabo dictionum Hebraicarum, qvæ in סֵפֶר תְּהִלִּים continentur Baſil. 1615, *Joſeph. Barbatus Meniphiticus* in Speculo Hebraico Lovan. An. cIↄ Iↄc. xv, *Chriſtophorus Helvicus* in Lexcico Hebr. Didactico Gieſſæ 1621, *Schichardus* in compendio Lex. Heb. Horologio ſubjuncto, & eum imitatus *Adamus Fuſius* in Dictionarii kurtzer Außzug für die Deutſchen einfeltigen Schüler der Hebreiſchen Sprache ab præmonſtratis modò exponendi τὸ קו viis vix latum pilum diſcedunt. *Antonius* autem *Hulſius* in ספר כל לשונות המקרא ſive Nomenclatore Biblico Hebræo-Latino Bredæ edito 1650 locum Eſa. 44, 13 Rubricam *Pagninus* filum Phœnicium, *Avenarius* rubrica infectum, *Marinus* in arca Noë, miniô vel aliô colore imbutum exponunt. *Victorinus Bythnerus* in Lyra prophetica Davidis Regis Londini 1650, præmiſsâ vulgari Interpretatione dicit LXX *legiſſe ὁ φθόγγος αὐτῶν ſonus eorum, qvòd legerint in fontibus* קולם *qvod eſt verſu præcedenti, ſed ſenſu eodem; nam ſonus verbo enarrandi, linea verò indicandi, appoſitè reſpondet.* Hunc *Delrius* in Adagialibus Sacris, *Simeon de Muis* in Pſalmos aliiqve refutant. Benè tamen heic uſurpat vocem indicandi cum *Bucero*. *Edvardus* Leigh in Critica ſacra Londini 1650 duplicis lineæ meminit, altera Æ*dificationis* Zach. 1, v. 16, altera eſt *deſtructionis* 2 Reg. 21, 31, קו autem dici putat a *collectione*; *eſt enim*, inqvit, *funiculus ex multis congregatis effectus.* Ceterùm nec *Leighii* nec *Marini* hæc prima eſt obſervatio, ſed R. Iſaiæ, teſte *Andrea Maſio* in Joſ. cap. 2. pag. 51. *R. Iſaias*, inqvit, *a poſitione*, קָוָה, *qvæ collectionis habet notionem, deductum*

nomen

nomen תקוה, *funem ſignificare cenſet, qvòd in fune multa fila contorta componantur. Mihi verò verbum* τὸ קואי *qvod Chaldæis textorem ſignificare animadverti, perſuadet ut credam* τὸ קוה *Hebræis non ſolùm colligere ſed etiam contexere olim ſignificâſſe. Sunt enim ceteræ Orientis lingvæ ex Hebræa natæ. Abſq; eo verbo & קו lineam, funiculum & hoc noſtrum* תקוה *deſcendere.* Hæc *Maſius.* Fuit תקוה חוט השני funiculus fili coccinei, 72 Presbyteri τὸ σπαρτίον τὸ κόκκινον, qvô uſa *Rachab* in liberandis binis exploratoribus, cùm liberi per feneſtram demiſſi; teſſera poſtea fuit Soterii *Rachab* mulieri meretrici benignè indulti.

Syncriſin aliarum ſi adhibere placeat: initiô occurret *Antonius Giggeius* Collegl Ambroſiani Doctor Theſ. Arabicæ Lingvæ Volum. 3. pag. 1436 قُوَىٰ Funiculi, ex qvibus conſtat funis. Syr. Chald. חַבְלָא chabla, Kabbel. 72 Seniores qvinqvies τὸ קו interpretantur μέτρον menſuram 4. Reg. 21. 13. Eſa. 44. 13. Thren. 2. 8. Ezech. 47. 3. Zachar. 1. 16. Aliàs Hebr. פלס, משקל, *Græcè* γνώμων, κανών. *Ital.* Regola miſurretta. *Hiſp.* La regla para juz gar lo derecho. *Angl.* A rule ozsqvare. *Gall.* reigle. *Polon.* lineal'. *Bohem.* linyal pra Widlo. *Hung.* regula. *Carniol.* rithshert, linial. *Germ.* ein Richtſcheit/recht/Linial. *Belgi* Regel/ rye/ Liniael/ liny/Winckel-mate.

Ut autem ad lineam rerum, qvas noſtrum קו ſeu linea deſignat, non minùs iſtius interpretamentum & applicatio variat, qvàm συνονυμία vocis variarum gentium lingvis modò oſtenſa. Haud abs re fuerit novam acceſſionem ἑρμηνευτικὴν adjeciſſe illi interpretum diverſitati, qvam ſuperius pag. 149, 151 ſeq. obſervavimus. Qvoniam verò regularis hic Evangelii ſonus non modò orbem replevit, ſed etiam regnum Dei Παντοκράτορος admirabili ſucceſſu beavit, regnum Satanæ κοσμοκράτορος deſtruxit, cunctaq; generi humano ſalutis bona attulit: in nullo argumento lubentiùs verſamur, qvàm in hoc dicto illuſtrando. Sed ut id commodè fiat: magnorum Luminum facibus opus erit, qvas benignis oculis haut pigebit ſubjicere.

Lutherus in pſalm. 19. pag. 310 tom. 3 Witeb. Lat. 1553: In omnem terram exivit ſonus: *Vide, qvàm vigilanter aptet Spiritus verba ſua, ne Apoſto-*

li putarentur eſſe verbi authores, facit eos miniſtros & inſtrumenta. Sicut dicit Chriſtus: Non enim vos eſtis, qvi loqvimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qvi loqvitur in vobis. Et iterum: *Ille me clarificabit & teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Ideo dixit,* voces eorum audiuntur, *ſed alius eſt, qvi loqvitur:* Exit ſonus eorum, *& alius eſt qvi efflat & emittit, uſus voce & verbis eorum pro inſtrumentis ſuis. qvanqvam Ebræus habeat,* in omnem terram exivit regula eorum(Wittenberg.Lat.edit.4° an.1565, *funiculus* eorum) *tamen Apoſtolus Rom.* 10. Sonum *dicit, & in idem recidit. Sonus enim Evangelicus regula illa eſt, juxta qvam ædificatur Eccleſia. Non enim ædificatur armis corporalibus fabrorum, ſed verbô vitæ: ſimul tamen eô verbo certa menſura ſignificatur, qvâ cujusq; Apoſtoli miniſterium diſpertitum eſt in orbem terrarum. Non enim omnes eodem locô prædicaverunt, ſed diviſi ſunt in totum mundum, non ut divitias ejus ſibi aggregent, ſed unusqvisq; portionem ſuam ad Chriſtum reducat.*

Deformati qvondam cœtus noſtratis, qvi Sponſo illuſtriſſimo Servatori Chriſto Sponſa ſine macula ſiſti debuit, cordatus reformator & fidus reductor a deviis ad tutum ovile *Joannes Pomeranus Bugenhagius* in interpretatione Pſalmorum Witembergæ publicè lectâ, Baſileæ verò 1524 editâ, hâc exegeſi dictum *ſonum* illuſtrat: *In omnem terram &c. Id eſt, omnibus lingvis prædicatum eſt & in toto orbe terrarum. Prophetia adhuc adimpletur usq; ad finem mundi.* Felix: *in omnem terram exivit* curſus eorum. *Nam velociter currit ſermo ejus, & Chriſti prædicatio brevi mundum pervaſit, qvin & adhuc dies eſt, & qvod nondum cœli ſpatium permenſus eſt ille Sol, brevi permetietur, ut ſit deinde finis mundi, ſicut prædixit Chriſtus: Prædicabitur hoc Evangelium regni in toto orbe terrarum, & tunc veniet conſummatio. Totus Pſalmus eſt de prædicatione & inſtitutione regni cœlorum per orbem, qvæ in Spiritu non minùs glorioſa eſt, qvàm illa fuerint, atq; adeò propter hanc illa facta ſunt, & illa nihil nobis profuiſſent, niſi hæc ſecuta fuiſſet. Nos dicimus hìc alludi ad viſibilem illum Solem, qvi egreditur ab oriente & vadit in occidentem usq;, donec dies eſt, & totum orbem illuſtrat & calore ſuo fovet, & idem ſignificari, qvod ſuprà dixit: In omnem terram exivit &c. Similis oratio eſt in Matthæo cap.* 24: Congregabunt *electos ejus ab extremis cælorum usq; ad extrema eorum a qvatuor ventis cœli i.e. ex omnibus mundi partibus, etiam noviſſimis. Et Felix* (Pratenſis) *ſic verſum reddidit: Ab extremo cœlorum egreſſus ejus, & circulatio ejus ſuper extrema eorum.*

Brentius in Pſalmos: In omnem terram exit ſonus, ſeu *ut Hebræus legit,*

amuſſis

amuſſis & regula eorum. *Apoſtoli enim ſonô Evangelii ſui ædificârunt & exſtruxerunt tanqvam amuſſi & perpendiculô Eccleſiam in omnibus finibus terræ. Nec futurum eſt qvod vaticinatur, potiùs rem ſeu geſtam, ſeu qvæ jam geritur, narrat, hoc Chriſtus ipſe hunc mundum juxta externam converſationem deſerturus monet: Vos, inqvit, eritis teſtes mihi non ſolùm Hieroſolymis, verùm etiam in univerſa Judæa, Samariaq; deniq; usq; ad extrema terræ. Et Paulus ad Coloſs. cap. 1: Per ſermonem Evangelii, qvod pervenit ad vos, qvemadmodum & in toto mundo fructificat. Et mox: Siqvidem permanetis, inqvit, in fide fundati ac ſtabiles, nec dimovemini a ſpe Evangelii, qvod prædicatum eſt apud univerſam creaturam, qvæ ſub cœlo eſt. Vides igitur hunc Pſalmum veriùs hiſtoriam de rebus jam geſtis texere, qvàm viticinium de rebus adhuc gerendis commemorare, qvòd divulgationem Evangelii in totum orbem, mille antè annis ità recitet, perinde ac ſi eam coràm fieri ſuis oculis vidiſſet.*

Henricus Mollerus Hamburgenſis in Enarratione Pſalmorum edition. Witeberg. 1573 pag. 328: Rectiùs itaq; ab aliis redditur: *Scriptura eorum, ut ſignificet in cœlis tanqvam in volumine omnibus conſpicuo deſcriptam eſſe Dei gloriam, qvæ omnibus conſpicienda & legenda proponatur; ſimul illis inditam eſſe ſonoram vocem, qvæ ad aures omnium perveniat. Qvod igitur de ſermone dixerat antè, oſtendit eum oculis magis, qvàm auribus percipi. Sicut autem* קו *funiculum menſorium ab extenſione ſignificat: ita eadem ratione nonnunqvam ſignificat Verſum ſcriptum, qvem Germani nominant* ein Zeil/ *interdum etiam cum* Latinis ein Linie. *Eſtq; id manifeſtum ex Eſaia 28, ubi Deus Judæos pueris nondum ſatis per ætatem docilibus comparans ſic loqvitur; Qvoniam erit illis præceptum ad præceptum, verſus ad verſum, pauliſper ibi, pauliſper ibi, id eſt, opus eſt illis aſſiduâ inculcatione & repetitione ejuſdem præcepti & verſus: ſicut pueris non multa ſimul ingeri poſſunt.* Græcus pro קום legit קולם vox eorum. *Duo* hìc ſingularia noſtro conſpectui obverſantur: *Alterum*, qvòd *Mollerus* notet lectum eſſe a Græco קולם vocem eorum locô קום regulam eorum: qvod etiam *Piſcatori* ſollicitiori aliàs interpreti placuiſſe in Comment. in hunc Pſalm. mirari ſubit. *Alterum*, qvod קו interpretetur *Scripturam*. *Prius* qvod ſpectat: non modò Regius Hebraicarum literarum Profeſſor *Simeon de Muis* Comment. in Pſalm. ſuprà refutavit & in primis zelô qvodam uſus *Iſaacus Levita* Profeſſor Hebrææ lingvæ qvondam Colonienſis, ſed etiam *Martinus Del Rio Antverpienſis* Salmanticæ Profeſſor in Ada-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

gialibus ſacris V. T. edition. Lugdun. 1614! *In omnem terram exivit &c. Hebraicè eſt* קום *filum, linea, ædificii perpendiculum : Verſionem LXX & noſtri ſeqvitur Paulus ad Rom.* 10.18. *Nec puto illos legiſſe* קולם *ſed vocâſſe ſonum ipſam prædicationem, qvæ revera erat perpendiculum ædificii cœleſtis qvod dixi: & eſt verus ſenſus Propheticus loci illius. Ad hanc etiam metaphoram alluſit Apoſtolus* 2. Cor. 10, 13. *Nos autem non immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qvâ menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi ad vos. Hoc eſt Secundum normam qvâ uſi ſumus in ædificanda apud vos Eccleſia, pro modulo qvem tribuit nobis Deus.*

Ad *poſterius* qvod attinet, prævia eſt Mollero Expoſitio Eccleſiaſtica in lib. Pſalmorum Henrici Stephani 1562 ex Wolfg. *Muſculo. Qvia nomen* קן *nunc lineam, nunc ſtructuram Hebræis ſignificat, qvidam hunc ſenſum eliciunt, qvod cœlorum architectura qvaſi lineatim ad regulam compoſita, longè lateqve gloriam Dei prædicet.* Sed qvum metaphoricè cœleſtis machinæ ſplendorem David hic Doctoris inſtar de gloria Dei concionantem inducat, frigida eſſet iſta locutio, lineam cœlorum exire in ultimos uſqve terræ fines. Adde, qvod ſtatim proximo membro verba ubiqve exaudiri ſubjicit. Qvid autem verbis affine cum ſpecie ædificii? Qvod ſi vertamus *Scripturam*, hæc duo optimè convenient, in cœlis, tanqvam in volumine omnibus conſpicuo, deſcriptam eſſe Dei gloriam & ſimul inditam illis eſſe ſonoram vocem, qvæ ad omnium aures perveniat. Atqve ità monemur viſualem (ut ita loqvamur) eſſe ſermonem illum, cujus facta prius fuit mentio. Oculis enim, non auribus loqvuntur cœli: ut meritò eorum ſpeciem tam diſtinctè ordinatam Scripturę comparet David.

Sed hæc *Muſculi* unius non eſt obſervatio. Idem *Vatablus* ante eum obſervavit apud alios, qvô teſte, qvidam vertunt קן *Scripturam, qvòd in cœlis tanqvam in volumine omnibus conſpicuo ſit deſcripta gloria Dei, & ſimul indita illis ſonora vox, qvæ ad omnium aures perveniat.* Eſa. 28, 10 קן pro *verſu ſive Scriptura poni dicunt. Senſus eſt: Gloriam Dei non obſcuris literis notatam, ſed ſplendido charactere expreſſam eſſe, cujus lectio omnibus expoſita ſit & facilis.* A *Muſculo* non longè abit *Piſcator, Junius* & *Tremellius: In totam terram prodeunte* delineatione eorum, &c. Verto, inqvit *Piſcator, in totam terram exit* præſcriptum eorum, Scriptura *Hebraicè* קן, i. e. linea *ſive* delineatio, *ſignificat hic* præceptum, *ſeu* præſcriptum: *ſicut Eſa.* 28, 10: *ubi tanqvam Synonymum adjicitur nomine ſignificante* præceptum. *Senſus eſt, cœlum per*

curſum

curſum Solis, Lunæ & aliarum ſtellarum cunctis in toto terrarum orbe hominibus præſcribit *ac* præcipit, *qvid de Deo debeant ſentire.* Hac ſpectant Gallicorum Bibliorum Genevæ 1610 impreſſorum verba: *Leur* allignement *eſt iſſu par toute la terre.* Belgicos interpretum margo conjungit, *lineam, regulam, præſcriptum* & *Scripturam*: Haer Richt-ſnoer gaet uyt over de gantſche Aerde. ofte linie/ regel/ voorſchrift/ ſchrift. het is/ ofte ons met grove linien/ en letteren gheſchreven ende leeſden van haren Schepper. Vergel. Jeſaiæ 28/ 10. Waer op de Apoſtel dit gepaſt heeft / ſiet Rom. cap. 10/ v. 18. Biblia Moſchovitica ſeqvuntur vulg. Interpretem:

Вовсю̀ землю ѝзӹде вѣща́нїеи҆́хъ,

Wowſy Zemlu izyde wieſtſaine Jgh: *In terram omnem exivit ſonus eorum.* Iſti interpretamento, qvô קַו *Scriptura* exponitur ſuccinit geminum diſtichon *Friderici Widebrami* S. S. Theologiæ Doctoris, qvod in Pſalm. 19 edidit;

Hæc velut in picto Scriptura volumine *mundi*
Omnibus expoſita eſt conſpicienda plagis.
Hæc procul extremis contingens finibus orbem
Clara velut viva concio voce, ſonat.

Prima noſtra Verſio, qvam civitate Danicâ donavit *M. Johannes Michaelis* & edendam curavit Lipſiæ apud *Melchiorem Lottherum* Anno 1524, ſic habet: Sandeligen thet er jaa uti alle Lande theres Røſt udgangen/oc uti ald Verden theres Ourd. Sed N. Teſtamentum, qvod Canonicus Lundenſis *Chriſtiernus Petri* comes exilii Regis Dan. CHRISTIANI II Antverpianis typis ſic exſcribendum curavit 1531 hunc locum: Thi deris Røſt er udgangen i alle Land/ oc deris Ord hørdis til Verdens Ende. Svetica Biblia ita ſonant. Theras lirod år jro vdgånget i all Land/oc theras Ord til noerldennes endar. *Maximus* verò in Μεταφράσει διγλώττῳ reddidit: *εἰς ὅλην τὴν γῆν διήγηκεν ἡ βοήτυς, καὶ εἰς τὰ ἄκρεις τῆς οἰκουμένης τὰ λόγια τοις.* Syriaca Verſio *Gvidonis Fabricii* & Tremellii בְּרַת קָלְהוֹן filia vocis eorum. Oraculum, prædicatio inſtar oraculi. *Hulricus Zvinglius in* Enchiridio Pſalmorum: *In omnem terram exiit* oratio eorum, qvod etiam in textu Campenſis obſervatur. In Paraphraſi verò *doctrina eorum. Vueſthemerus*

merus & *Grotius* in Pſalmos: Doctrina eorum. Norma, amuſſis &c. *Alphonſo Camorenſi*, *Forerio* in 28 & 34 cap. Eſa. *Davidi Pomario*, *Lorino*, *Auguſt. Juſtiniano*, *Oleaſtrio*, *Bredembachio*, *Flaminio*, *Oſorio*, *Figueiro*, *Buxtorſio*, *Marianæ*, *Iſidoro Clario*, *Avenario*, *Agathio*, *Chuidaſerio*. *Steucho* v. ordo, harmonia, moderamen, tractus eorum. *Agellio* reſticula menſoria, *Pellicano* Zona eorum. Unde Rabbinis קו השוה Linea æqvatoris.

Widebramo in Pſalter Gr. γνώμων ; nobis v. *Chorda*. Ceterùm divortii affatim diverſus modò attulit Hermes: nunc concordi Interpr. nexu opus erit, cùm ratiocinia *Gaffarelli* vix egeant reſponſione, qvippe ſuapte vanitate ruentia, Hunc nexum commodè noſtrum Radicale & commune ſignificatum ſic conſtringet:

Canon, regula, norma, menſura, directio, dimenſum, perdendiculum, funiculus, filum, reſticula, ſeries, mandatum, ædificium, ſtructura, architectonia, harmonia, ordo, moderamen etc.

CANONICUS ET GNOMONICUS DUCTUS

CHOR
קו
DA

Extenſio, tractus, delineatio, linea, verſus, perimetrum, pauſa, ſonus, echo, influentia, congregatio, ſplendor, zona, oratio, Evangelium etc.

Gnomon, indicium, ſignum etc.

GLORIA PRINCIPIO ET FINI
HAGOELI
A & Ω.

EXERCITATIO LITERARIÆ ANTIQVITATIS TERTIA HIERONYMI

Opinioni de Eſdræo hodierni characteris Hebraici novo inventò modeſtè oppoſita.

CUm SECUNDA EXERCITATIONE modò propoſitâ priſcum Sacrarum Hebraicarum Literarum depoſitum a *Gaffarelli* Cœlo deductum terris reſtituere pro virili ſtuduerimus : jubet nunc ſuſceptum primigeniæ *Literaturæ Hebraicæ* ſtudium, ac tuendæ veritatis zelus, ut pari conſtantiâ iis obviam eamus, qvi *Hieronymi* auctoritati, perinde ac ſi indubitabilis foret, plus juſto tribuentes, ſeciùs qvàm oporteat de antiqviſſimis Hebraicis hodiernorum ſacrorum V. T. voluminum divinâ providentiâ conſervatorū Literis, & earum cum Sacris Libris & in Sacris Scripturis mirabili conſervatione ad noſtra usq; tempora ſtatuere præſumunt.

Sed ipſum *Hieronymum*, cujus auctoritate velut clypeô adverſa pars ſe tuetur, veritatis tribunali ſiſtamus, & qvantùm valet, modeſtè expendamus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

damus. Præfat. in Libr. Reg. tom. 4. Op. edit. Baſil. Froben. 1516 ſic ſcribit p. 7: *Viginti & duas Literas eſſe apud Hebræos, Syrorum qvoqve Lingva & Chaldæorum teſtatur, qvæ Hebrææ magna ex parte confinis eſt. Nam & ipſi viginti duo elementa habent eôdem ſonô, ſed diverſis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moyſi totidem literis ſcriptitant, figuris tantùm & apicibus diſcrepantes. Certúmq; eſt Eſdram Scribam Legiſq; Doctorem, poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias literas reperiſſe, qvibus nunc utimur, cùm ad illud usq; tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.*

Ut igitur cuivis exploratiùs conſtare poſſit, qvi absq; inveterato præjudicio & cœco erga Samaritanorum difformes figuras amore rectè ac ſincerè de ſancta *Literatura*, qvam Dei digitus conſecravit, judicare, divinam hodiernorum elementorum Hebraicorum originem & admirabilem perennitatem indagare penſi habet, an Hieronymi auctoritas talis & tanta ſit, qvalis & qvanta eſſe putatur, & an adeo immunis ab omni errandi periculo exiſtat, ut qvicqvid is dicat pro rato ſit habendum; adeoq; valeat antiqvitatis gloriam noſtris Characteribus adimere, eandem Samariticis Literis vendicare, & deniqve præpoſteram de Eſdræano Hebraicarum Literarum invento opinionem ſolidè confirmare: eſto QVÆSTIO PRIMA:

QVÆSTIO I GENERALIS.

Num Hieronymi auctoritas omni errore, dubiô & periculô vacet?

NEgamus: *Primò*, qvia talem & tantam auctoritatem ipſe *Hieronymus* nec aliis ſcriptoribus nec ſibimet *vult* arrogare. Nam Comment. in Pſal. 86. tom. 8 p. 61. ed. citat. expreſsè monet: *Videte*, inqvit Hieron. *qvid dicat* (David) *Qvi fuerunt, non qvi ſunt: ut, exceptis Apoſtolis, qvodcunqve aliud poſtea dicetur, abſcindatur, non habeat poſtea autoritatem. Qvamvis ergo ſanctus ſit aliqvis poſt Apoſtolos, qvamvis diſertus ſit: non habet autoritatem.* Ecce ipſe *Hieronymus* divinam & Propheticam, hoc eſt, omnis erroris expertem autoritatem & ſibi & cunctis aliis poſt Apoſtolorum tempora viris, licet eximiis donis præditi fuerint, planè abjudicat.

Secun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Secundò, qvia non *debet* ſibi talem vendicare autoritatem, qvalis Sanctis Dei hominibus extraordinariâ divinæ patefactionis luce illuſtratis in ſolidum debetur. Illis enim ſingularis indubitatæ auctoritatis & veritatis prærogativa eſt conceſſa: *Spiritus Sanctus ducet vos in omnem veritatem* Joh. 16. v. 13. Qvi loqvuturi aguntur Spiritu Dei 2 Petr. 1. 21, ſcripturi divino afflatu afficiuntur 2. Tim. 3. 16.

Tertiò, qvia non *poteſt* talem ſcribendi autoritatem mereri, qvæ omni careat errore, ob varios, qvibus ejus ſcripta paſſim deformata dolemus, errores; eosq; partim *Hermeneuticos*, partim *Grammaticos*, partim *Dogmaticos*, partim *Hiſtoricos &c.*

Ex horum ubere ſegete, qvæ in ejus lucubrationibus ſuccreviſſe non ſine dolore animadvertimus, paucas tantùm ſpicas parcâ decerpemus manu.

Hermeneuticus error eſt, cujus interpretatio Hieronymiana capitis 3. Sophon. v. 18. tom. 6. p. 100. planè comperta eſt. Verba enim נוּגֵי מִמֹּעֵד אָסַפְתִּי ita interpretatur Hieronymus: *Nugas qvæ a lege receſſerunt, congregabo.* Qvâ verſione velut ruinosô fundamentô ſeqvens ejus Critica & Commentarius nititur: *Id qvod diximus*, inqvit in Commentario, *Nugas*: *Sciamus in Hebræo ipſum* Latinum *eſſe ſermonem* נוּגֵי, *Nuge*; *& propterea a nobis ita ut in* Hebræo *erat poſitum: ut noſſe poſſimus Lingvam Hebraicam omnium Lingvarum eſſe matricem: id qvod non eſt hujus temporis diſſerere.* Sed verò, ſi Hebraica Lingva aliarum Lingvarum tanqvam filiarum matrix, uti eam rectè laudat *Hieronymus*, aliam non haberet ſobolem, qvàm qvalem hic nugarum partus eruditis, obſtetricante Hieronymô editus ob oculos ponit, abortivos omnes & nothos, nullos genuinos, nullos ingenuos ederet fœtus. Tantùm igitur primigenii Textus vocula נוּגֵי diſtat Hieronymianis nugis, quantùm ſcoriis aurum obryzum.

Eqvidem verſionem *Hieronymi* qvod ſpectat, vertere debuiſſet: *Mœſtos ob conventum congregavi*: hoc eſt, dolentes, qvòd ſacros, certo tempore definitos, ac ſollennes conventus divino cultui deſtinatos, ad tempus verò neglectos celebrare neqvierint, recollegi. *Primus* itaq; interpretationis, qvam *Hieronymus* probat & proponit, lapſus cernitur in voce נוּגֵי nuge, qvam vertit *Nugas*. Nam נוּגֵי vox conſtructa Participii

 Niphal

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

Niphal adhibetur pro abſoluta נוגים, qvâ ſignificantur mœrore affecti, & originem ſuam ducit à radice יגה, cujus Kal in Bibliis Hebræis non uſurpatur: in Niphal verò, Piel, & Hiphil extat, atqve *doloris* ſeu *mœroris* ſignificationem admittit. Hunc lapſum *Hieronymi* non ſine admiratione obſervavit *Lutherus* in explicatione hujus loci fol. 655: *Mirum mihi eſt,* inqvit Lutherus, *cur tam inſigniter labi permiſit* (Deus) *homines tantos, ſicut etiam hic in re Grammatica lapſus eſt Hieronymus, vir tantus. Non enim* Nugæ *eſt vox Hebræa, ut ipſe vult, &c.*

Secundus error Hermeneuticus eſt, qvòd Hieronymus vocem מועד vertat Legem: cùm מועד (moedh) non Legem notet in Biblis ſacris, ſed aut certum definiti temporis ac loci conventum (moode) aut ipſum tempus definitum, in primis illud, qvô talis conventus peragitur, e. gr. Feſtos dies, aut deniq; totum ipſum actum certi cœtus certô tempore & locô inſtitutum deſignet h. e. feſtorum celebrationem ac ipſam ſolennitatem.

Tertius error eſt, qvòd juſtô liberalior ſit Hieronymus, & hæc verba (*qvæ receſſerunt*) de ſuo aſſuat ſacro textui. Horum enim vorborum nulla in Prophetico textu veſtigia, nec qvod iis reſpondeat, qvicqvam apparet. Ceterùm, ut, miſsîs vocibus, rem ipſam conſideremus: qvis qvæſo ſenſus erit horum verborum? *Nugas, qvæ a Lege receſſerunt, congregabo.* Num divina bonitas ac Providentia verſatur circa nugas colligendas? & num Lex Dei, qvæ ſancta, juſta & bona eſt Rom. 7. 12. qvicqvam cum nugis commercii unqvam habuit? Qvantùm itaq; valeat illa auctoritas, qvæ nugas vendit, unâ lineâ ter peccat, ac præpoſterum divinis oraculis ſenſum obtrudit, nemo non videt.

Grammatici errores, qvorum manifeſtus eſt Hieronymus, partim Barbariſmum, partim Solœciſmum redolentes, ex ſeqventibus locis patent. Pſalm. 77, 5 tom. 8. & 9. *Scopebam* ſpiritum meum: qvi barbariſmus aliqvoties non modò in Hieronymiano Commentario hujus Pſalmi, ſed etiam in nova Translatione juxta Hebraicam veritatem, & porrò ex 70 Interpretibus ſeorsùm adornata ab Hieronymo, repetitur. Zach. 11, 13. Decorum præcium qvod *appretiatus ſum* ab iis. 1 Tim. 1, 19: Circa fidem *naufragaverunt*; utrumq; & *Appreciare* & *Naufragare* in Textu & in Commentario Hieronymiano invenies. Solœciſmi Hieronymiani

ſunt:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſunt: Sophon. 3. 1. *Væ provocatrix & redempta Civitas*, pro, Væ provocatrici & redemptæ civitati. Ut nihil dicamus de Verſione, qvæ Latinitate non eſt melior. Matth. 5. 22, 23. *Reus erit judicio, reus erit concilio*: pro, judicii, concilii. Eſa. 1, 14: *Odivit* anima mea, Barbariſmum olet.

Porrò *Grammaticus* pariter ac *Hermeneuticus* error ab HIERONYMO committitur, qvando & Grammaticæ & biblicæ ſignificationis incurioſus Eſaiæ cap. 1. 22 vocem סָבְאֵךְ transfert, *Caupones tui*. Nam 1 eſt dictio compoſita numeri ſingularis: Hieronymus autem interpretaturus hanc dictionem juſtô licentiùs plurarem numerum ſubſtituit. 2. סֹבֶא in Sacris qvidem Bibliis non ad deſignandum cauponem, ſed ad exprimendum (ut eruditis placet) nunc qvemvis potum, qvô qvis ſe ingurgitat, nunc ſigillatim vinum aut merum.

His junge illud Eſa. 2, v. ult. בַּמֶּה, qvod ab *Hieronymo* vertitur, *excelſus*, & in Comment. exponitur, *altitudo, ſublimitas*; cùm Grammaticæ convenienter verti deberet, *in qvo*: qvippe dictio eſt compoſita e Præpoſitione ſeu præfixo & Pronominis fragmento.

Huc etiam refer illud interpretamentum, qvod *Hieronymus* hauſit a præceptore Judæo deſcriptum Sophon. c. 3, 8, לְעַד, *ad futuram*: ubi cœcum ſeqvutus ducem Hieronymus, confundit עוֹד Syncategorema futuri temporis cum עַד conſignificante prædam, ab עוּד prædatus eſt. In commentario autem hanc vertendi audaciam acceptam refert Præceptori his verbis uſus p. 99: *Hebræus qvi me in ſcripturis inſtituit* (fortè, Bar Hanina) *aſſerebat* לְעֵד *in præſententi loco magis* εἰς ἔτι, id eſt, in in futurum *debere in telligi, qvàm*, in teſtimonium.

Hanc confeſſionem ſæpius in ſcriptis ſuis repetit: qvæ licèt ſit ingenua, tamen novimus cor judæorum velamine eſſe obductum ad hunc usq; diem, cùm legitur Moſes & Vetus teſtamentum, teſte Paulô 2. Cor. 3. 14. 15.

Ne verò juventus plùs juſto tribuat Judæorum ſive Rabbinorum ſcriptis, ubi verus ac genuinus Sacræ ſcripturæ ſenſus erit inveſtigandus, nos nacti occaſionem ex hoc errore, qvem e Præceptore (a qvo ſæpe deceptus fuit, ut DRUSIUS ſcribit lin. 2. de tribus Sectis Jud. c. 9.) ſvaviter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſuxit *Hieronymus*: haud abs re fore putamus, ſi admonitionem doctiſſimi viri *Joan. Forſteri* S. S. Theologiæ Doctoris & Hebraicæ Lingvæ Profeſſoris olim in Academia Wittebergenſi, qvâ Præfationem ſuam Lexico Hebraico præfixam clauſit. Verba *Forſteri* hæc ſunt: *Saniorum dexteritas mihi ſolatio eſt, qvi, qvod res eſt fatebuntur, & gaudebunt Hebrææ Lingvæ veritatem per me eſſe repurgatam à ſordibus Rabbinorum, qvibus multis jam annis defœdata & obſcurata fuit. Si qvis eſt, qvi facultates ſuas in Rabbinos profudit, qvi in ipſorum Synagogis longo tempore verſatus eſt, qvi domi propriis impenſis ipſos præceptores aluit, qvi ipſorum Commentaria ſtudioſè evolvit, Forſterus eſt, & tamen (Deum & conſcientiam meam teſtor) nihil eximij, & qvod ſingulari laude dignum eſſet, reportavi. Eram illis initio adeò addictus, ut alius qvisqvam, ſed qvò olim illis fui addictior, hòc nunc factus infenſior, qvòd omnem operam & oleum me perdidiſſe verè, ſed non ſine dolore, fateor. Et licet Rabbinorum interdum interpretationes vocum adduco, id facio, partim, ut videant ſcioli me etjam illorum ſcripta legiſſe, partim ut eorum ineptias oſtendam & inſcitiam, ſi qvando plures inter ſe diſſentientes ſententias allego. Nunqvam autem aut rariſſimè cito, ut ipſorum autoritate nitar, ſed ut illis, qvi Rabbinis addictiores ſunt, fidem faciam, ut expoſitioni meæ eò facilius aſtipulentur: optimè ſciens, qvod qvi cæci ſunt (ut ſunt eqvidem omnes Judæi) teſtificari de veritate non poſſint, neq; illis fides habenda ſit.* Hæc Forſterus.

Hiſtoricorum, *Chronologicorum*, *Topographicorum* lapſuum jam dudum convicerunt *Hieronymum* docti viri: *Druſius* de tribus Sectis L. 2. cap. 8, 9, 10. & in Reſponſ. ad Minerval *Nic. Serarij* c. 7. *Joſephus Scaliger* in Elencho Trihæreſ. *Serarij* cap. 12. & poſt eos *Caſaubonus* lin. 1. Exercit. num. 8. pag. 40 edit. Francof. 1615, nec non Exercit. 16. num. 93. p. 466. Horum obſervationes & argumenta, qvibus oſtendunt Hieronymum non rarò hallucinatum eſſe, etiam in Judaicâ antiqvitate & hiſtoria, nolumus huc convectare, ne actum agamus. *Nicolaus* verò *Serarius* in Minervali, qvod oppoſuit *Joſ. Scaligero* & *Druſio*, & Hieronymum & ſemetipſum conatur defendere: ſed fruſtra. Merus enim ibi conatus, ſucceſſus verò nullus: uti videre eſt Lib. 4. cap. 7. p. 156. ſeq. Minerval pro Trihæreſ. apud eundem.

Dogmaticus error eſt, qvem exponendo verſum 1 cap. 9 Eccleſiaſtæ, committit, & pag. 41 ita proponit: *Etiam in hoc dedi cor meum, & ſcire volui qvos Deus diligeret, qvos odiſſet: & inveni juſtorum qvidem opera in manu Dei*

eſſe:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

eſſe: & tamen utrum amentur à Deo an non, nunc eos ſcire non poſſe: & ambiguè fluctuare: utrum ad probationem ſuſtineant, qvæ ſuſtinent, an ad ſupplicium. QVæ *Hieronymi* expoſitio periculoſæ dubitationis plena eſt. QVi plures *Hieronymi Dogmaticos* errores ſcire volet, adeat & conſulat Λύχνον λόγου προφητικοῦ *Brochmannianum* pag. 34. edit. Haunienſ. 1634. nec non ejuſdem *Apologiam* ſeu Παρακαταθήκην *divinam* pag. 191.

Cæterùm, licet *Hieronymum* plurimùm veneremur ob eximias ingenii & eruditionis dotes, trium Cardinalium Lingvarum peritiam, Scripturarum cognitionem, incredibilem ſcribendi & commentandi induſtriam, igneam in ſvadendo & diſſvadendo vim, qvæ in Parænetícis ejus Epiſtolis maximè elucet: tamen diffiteri haut poſſumus, qvin ſubinde ceſpitaverit nunc in vertendo, nunc in docendo, nunc deniq; in narrando. Veluti enim magna cœli lumina nonnunqvam eclipſin patiuntur: ita qvoddam eſt magnorum etiam ingeniorum deliqvium. Suos qvisq; patitur manes. Nemo omnibus horis ſapit. Id qvod *Hieronymo* nonnunqvam accidiſſe, ex oſtenſis erratis conſtat. Hos autem lapſus in *Hieronymo* ideo notamus: *primò*, ut certò demonſtretur, ejus autoritatem omni errore, dubiô ac periculô non vacare. *Secundò*, doceamus, judiciô & delectu opus eſſe legenti *Hieronymum*, aliosq; Patres, qvi eatenus ſunt audiendi, qvatenus illi vocem cœleſtis patris audiunt. Neq; enim qvicqvid magni viri auctoritate eſt munitum, mox pro rato ac indubitato habendum erit. Sæpe veritatis indagini fatua nocuit credulitas.

Nobis itaq; nemo vitio vertat, qvòd Literarum Hebraicarum, qvas profitemur, antiqvitati patrocinaturi, *Hieronymi* auctoritatem, qvâ primigeniæ Literaturæ vetuſtas obſcuratur, qvanta ſit & qvalis, æqvîs momentîs ponderemus, atq; incerta a certis cautè ſecernamus. Id qvod, niſi detectîs priùs ejus lapſibus, fieri neqvibat. Neq; noſtrum inſtitutum exemplô caret. Magni & eruditi ante nos viri fuere, qvos non terruit *Hieronymi* auctoritas, qvò minùs lapſus ejus detegerent, falſa à veris circumſpectè removerent. Nimirum, *Lutherus*, *Brochmannus*, *Waltherus* Præfat. ad Pſalm. Dav. *Bibliander* de opt. gen. explicandi Hebraica p. 16. 17. *Druſius*, *Scaliger*, *Caſaubonus*; & è Pontificiis (ut alios ſileamus) *Joan. Morinus*, qvi l. 1. Exerc. 3. cap. 5. pag. 155. de Hebræi Græciq; textus ſinceritate ita ſcribit: *His omnibus ultrò citroq; penſiculatis, colligat Lector, qvàm vera ſit, & qvàm latè ſe diffundat magnifica illa & confidentiloqva S. Hieronymi*

ronymi aſſertio. Paulò poſt: *Videat* (Lector) *num tantô verborum apparatu, & toties repetitô umbram ferè ſine lumine coloraverit.* Hæc ille.

Qvocirca, qvando *Hieronymus* pronunciat certum eſſe, qvòd hodiernæ Literæ Hebraicæ ſint ab *Eſdra primùm* inventæ, adeoq; nec Moſi nec Decalogo, in cujus literis formandis Dei laboravit digitus, ſint coævæ: neutiqvam credulâ qvadam temeritate committendum erit, ut ſine prævio examine *Hieronymi* auctoritate ſtemus, niſi mox cadere velimus, cùm tot lapſibus ſit obnoxia, ob duces, procul dubio, qvos ſeqvutus, planè cœcos ac ceſpitantes. Sit itaq; QVÆSTIO SECUNDA:

QVÆST. II SPECIALIS.

An Hieronymo narranti hodiernas Hebræorum Literas ab Eſdra repertas eſſe tutò ſit fidendum?

NEgamus: *Primò*, qvia auctoritas & fides *Hieronymi* parùm tuta eſt, uti jam clarè oſtendimus. Subinde enim vacillat nunc in vertendo ſacro textu, nunc in commentando, nunc deniqve in narrando. Exemplum erroneæ narrationis Hieronymianæ hoc eſto. *Hieronymus* tom. I. Oper. p. 56. verſâ in Epiſt. ſub nomine *Paulæ & Euſtochij* ſcripta ad *Marcellam* ſic ſcribit: *Deniqve etiam Joſephum, qvi vernaculus ſcriptor eſt Judæorum, aſſerere: illo tempore, qvo crucifixus eſt Dominus: ex adytis templi virtutum cœleſtium erupiſſe voces, dicentium:* TRANSMIGREMUS EX HIS SEDIBUS. Proh fidem *Hieronymi*! *Joſephus* qvando conſulitur, & caput XII, de bello Jud. l. 7. evolvitur pag. 960, 961. edit. Genev. 1611. oſtendit, qvantam & qvalem fidem aliqvando mereatur *Hieronymus* aliqvid narraturus. Verba *Joſephi* hæc ſunt: *Feſtô autem die, qvem Pentecoſten vocant, nocte Sacerdotes intimum templum more ſuô ad divinas res celebrandas ingreſſi, primò qvidem motum & ſtrepitum qvendam ſenſerunt: poſtea verò repentinam vocem audiere, qvæ diceret:* ΜΕΤΑΒΑΙΝΩΜΕΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ, TRANSEAMUS HINC.

Viden' ut fidem *Hieronymi* elevet Joſephus? Nam 1. *Hieronymus* dicit hoc prodigium accidiſſe tempore crucifixi CHRISTI: *Joſephus* verò numerat inter prodigia, qvæ non longè ante excidium Jeruſolymitanum contigerunt. 2. *Joſepho* unica vox terruiſſe Sacerdotes perhibetur:

Hiero-

Hieronymus voces auditas memorat. Et 3 denique de ſuo cerebro addit, *cœleſtium virtutum* voces fuiſſe, qvod in *Joſepho* non extat. *Euſebius* in Chronicis eidem errori obnoxius eſt, qvando non minùs qvàm *Hieronymus* tempore Paſſionis Domini hoc eveniſſe tradit. Si dicerent, rem accidiſſe, qvam narrant, neqve teſtem fidei ſuæ *Joſephum* laudarent, facilè imperitis rerum Judaicarum rem ita ſe habere perſvaderent. *Nunc* verò (inqvit) *Caſaubonus* Exercit. 16. n. 93.) *qvis non intelligit humanitus illos erraſſe, & in tempore auditæ vocis inſigniter eſſe lapſos? itaq; ne conſtant qvidem ſibi, & rem eandem variè narrant, hoc eſt, variis modis depravant.*

Secundò, ipſe *Hieronymus* ſuam de invento ab *Eſdra* hodierno Hebraico charactere narrationem ſuſpectam reddit docens, qvòd idem ſit ſonus Syriacarum, Chaldaicarum & Hebraicarum Literarum. Nam Literæ Hebraicę ſic ſonant & ſic ſignificant juxta *Hieronymum* tom. 4 Oper. Epiſt. ad *Paulam Urbicam* de interpretatione Alphabeti Hebraici p. 90: Verùm jam complendum eſt qvod petiſti: ut ſenſum uniuscujusqve elementi interpretatiō annexa ſignificet. *Aleph*, doctrina interpretatur. *Beth*, domus. *Gimel*, plenitudo. *Daleth*, tabularum. *He*, iſta. *Vau* & *Zain*, hæc. *Heth*, vita. *Teth*, bonum. *Jod*, principium. *Caph* manus. *Lamed*, diſciplinæ ſive cordis. *Mem*, ex ipſis. *Nun*, ſempiternum. *Samech*, adjutorium. *Ain*, fons ſive oculus. *Phe*, os, ab ore non ab oſſe dictum intellige, ne literarum ambiguitate fallaris. *Zade*, juſticia. *Coph*, vocatio. *Res*, capitis. *Sin*, dentium. *Thau*, ſigna. Poſt interpretationem elementorum intelligentiæ ordo dicendus eſt. *Aleph*, *Beth*, *Gimel*, *Daleth*, *Prima* connexio eſt, *Doctrina domus plenitudo tabularum*, qvòd videlicet doctrina Eccleſiæ, qvæ Domus Dei eſt, in librorum inveniatur plenitudine divinorum. *Secunda* connexio eſt, *he*, *vau*, *zain*, *heth*, *iſta & hæc vita*. Qvæ enim alia poteſt eſſe vita ſine ſcientia ſcripturarum? Per qvam etiam Chriſtus agnoſcitur, qvi eſt vita credentium. *Tertia* connexio habet, *teth*, *jod*, *bonum principium*: qvia qvamvis nunc ſciamus univerſa qvæ ſcripta ſunt: tamen ex parte prophetamus, & nunc per ſpeculum in ænigmate videmus. Cum autem MERUERIMUS eſſe cum Chriſto, & ſimiles angelis fuerimus: tunc librorum doctrina ceſſabit: & tunc videbimus facie ad faciem bonum principium ſicuti eſt. *Qvarta* connexio eſt, *Caph*, *Lamed*, *Manus diſciplinæ* ſeu *cordis*. Manus intelliguntur in opere: cor & diſciplina intelliguntur in ſenſu: qvia nihil facere poſſumus, niſi

 priùs

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

priùs qvæ facienda ſunt ſcierimus. *Qvinta* connexio eſt, *mem, nun, ſamech, ex ipſis ſempiternum adjutorium*: hoc explanatione non indiget: ſed omni luce manifeſtius eſt, ex ſcripturis æterna ſubſidia miniſtrari. *Sexta* connexio habet, *ain, phe, ſade*, fons ſeu oculus oris juſticiæ: Secundum illud qvod in qvarto numero expoſuimus. *Septima* connexio eſt, qvæ & extrema, qvò & in ipſo qvoqve ſeptenario numero ſit myſticus intellectus, *coph, res, ſin, thau, vocatio capitis dentium ſigna*. Per dentes articulata vox promitur: & in his *ſignis ad caput omnium, qvi eſt Chriſtus, pervenitur: per qvem venitur ad regnum ſempiternū. Oro, te, qvi hoc ſacratus ſacramento? &c.*

Ecce Hebraici Alphabeti ſonum, ſignificatum & myſticum ſenſum. Hic ſenſus & ſignificatus ingenioſiùs qvàm ſolidiùs, ſi nonnulla elementa accurariùs expendas ab *Hieronymo* concinnatus, vix omne feret punctum, tantiqve viri fidem & auctoritatem minùs tutam reddet. Qvæ *Druſius* in hoc literarum arcano deſideravit, oſtendit in Cenſura Alphabeti Veteris Hebraici editi Franekeræ 1609. p. 13. ſeq. Tali etiam elementorum Hebraicorum myſtico ſenſu delectatus eſt *Euſebius*, qvem Græcô ſermone expreſſit. *Hieronymum* & *Euſebium* ſeqvutus eſt *Joannes Cheradamus*, qvi Alphabetum Sanctæ lingvæ myſtico ſenſu refertum curioſiùs, qvam utiliùs edidit Pariſiis 1532.

Nos verò, miſsô Literarum Hebr. myſterio & exqviſitiore ſingulorum ſignificatuum examine, *ſonum* ſaltem hôc lòcô attendimus. Pronunciat *Hieronymus* eundem eſſe Syriacorum & Hebraicorum ſonum. Verùm enim verò, qvando Hebræi pronunciant *Aleph, Gimel, Daleth, Jod, Lamed, Mem, Samech, Ain &c.* tunc Syri aliis aſcitîs vocalibus, qvàm qvibus gaudet Literarum Hebraicarum enunciatio, non eundem, qvô Hebræi utuntur, ſonum ſervant. Ita enim Syriaci characteres mutant ſonos: *Olaph, Gomal, Dolath, Jud, Lomad, Mim, Semkad* (ubi conſonantes etiam mutantnr) Ee, pro Ain, &c. Qvamobrem non idem eſt Syriacarum & Hebraicarum Literarum ſonus, uti Hieronymus tradit.

Tertiò, qvando Hieronymus narrat *certum eſſe, Eſdram Scribam Legiſqve Doctorem poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias literas reperiſſe, qvibus nunc utimur, & ad illud uſq; tempus eoſdem Samaritanorum & Hebræorum Characteres fuiſſe*, ſuam ipſius fidem dubiam reddit, & planè ſuſpectam.

Ratio in promptu: qvia ipſe *Hieronymus* longè antiqviorem hodiernis lite-

literis Hebræorum uſum tribuit: qvando docet eas tempore Aharonis viguiſſe. Tom. 4 Oper. Epiſt. ad *Fabiolam* de veſte Sacerdotali pag. 26 ita ſcribit: *Octava eſt lamina aurea, id eſt, ſis zaab* צִיץ זָהָב *qvâ ſcriptum eſt nomen Dei Hebraicis qvatuor literis*, י *Jod*, ה He, ו *Vau*, ה He, *qvod apud illos ineffabile nuncupatur. Hæc ſuper pileolum lineum & commune omnium ſacerdotum, in Pontifice plùs additur, ut in fronte vitta hyacinthina conſtringatur totamq; Pontificis pulchritudinem Dei vocabulum coronet & protegat.* Hæc ſacerrima inſcriptio inſculpta aureæ laminæ florem repræſentantis & ſuper cidari ac fronte Aharonis collocatæ Exod. 28. v. 36 ita ex Moſe expreſſa cernitur: קֹדֶשׁ לַיהוָה hoc eſt, SANCTITAS DOMINI.

Ex his manifeſtum evadit, qvòd, qvando *Hieronymus* expreſsè ſignat figuras literarum Hebraicarum extantium ſuper cidari Aharonica, ipſam frontem Aharonis citet & indigitet teſtem antiqvitatis & perennitatis Hebraicis ſacrorum Bibliorum characteribus propriæ, contra ſemetipſum & contra ſuam fidem. Nam illud, qvod pro rato habuit, nimirum, *ab Eſdra inventas* eſſe figuras literarum Hebraicarum, qvibus hodie utimur, irritum reddit, certumq; planè incertum, ne qvid gravius dicamus. Nam Literas tales olim oſtenſas fuiſſe in fronte Aharonis docet. Ecce *Hieronymum* oppoſitum *Hieronymo.* Secum itaqve priùs tranſigat, fidemqve Hieronymianam evidenti contradictione liberent *Hieronymi* patroni, anteqvam eam tanqvam indubitatam credendam proponant.

Qvartò, Hieronymo Eſdræanum Hebraicarum Literarum inventum aſſerenti tutò non fidimus, qvia ſuæ aſſertioni nullô ſacræ Scripturæ teſtimoniô fidem facit: nec *Eſdram*, qvi hic utramq; qvod dicitur, paginam faceret, nec *Nehemiam*, nec *Haggæum*, nec *Zachariam*, nec deniq; *Malachiam*, qvi circumductô 70 annorum orbe captivîsq; Judæis jam patriæ redonatîs, ſcripſerunt ea, qvæ canone ſacro & fide digna habita ſunt. Putaſné *Eſdram* memorabile hoc ſuum Literarum Hebraicarum inventum, audax mutandi divini Characteris facinus, laborioſum ſuum in docenda ac procerum & populi in diſcenda nova Literatura ſtudium Literarum monumentis aut indignum putaviſſe, aut incurioſiùs negligere voluiſſe? in primis cùm rerum longè viliorum curioſè meminerit, ſcilicet, cibi, potus, olei dati Sidoniis locô præmii, qvô promptiorem advehendis lignis cedrinis operam locarent Eſd. 3. 7. Me-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

morat qvot cantores, cantatrices, camelos, aſinos reduxerint reduces ab exilio Babylonico Judæi Eſd. 2, 66, 67; nec non, qvot millia ſervorum & ancillarum redierint Eſd. 2, 65: qva ergo probabilitate dixeris inauditam & inſolitam hanc elementorum mutationem ſolam indignam habitam fuiſſe, qvæ in literas relata poſteritati commendaretur, cùm res ſit, ſi revera geſta fuerit, fide & aſſenſu publicô digniſſima? Eſdrâ igitur tacente, ſi conticuiſſet Hieronymus, meliùs ſuæ fidei & famæ conſuluiſſet, qvando loqventibus ſuis Præceptoribus, hominibus parùm fidis fidem habuit. Etenim ab iis *Hieronymum* hanc opinionem & tales hauſiſſe etiam eruditi, *Morinus* & *Capellus*, teſtes ſunt, Hieronymianæ aliàs ſententiæ patroni. Præceptores *Hieronymi* Judæos qvatuor numerat *Morinus* Exercitat. Bibl. de Sinceritate Hebr. & Gr. textus lin. 1. Exerc. 3. c. 2: *Primus* ex Judæo factus Chriſtianus. *Secundus Barrabanus* Epiſt. ad *Pammachium* & *Oceanum* Tom. 3. Oper. pag. 86: qvô tanqvam alterô *Nicodemô* uſus eſt ob metum Judæorum. *Tertius Tyberienſis* Tom. 4. oper. p. 8. qvi Judæis admirationi fuit. *Qvartus Lyddeus*, adjutor Hieronymi, licet infelicior in exponendo Jobo Tom. 4. p. 10. Alios præterea audivit, præſertim peritum Judæum Chald. lingvæ in exponendo Tobia Tom. 4, pag. 9.

Qvintò, monſtret *Hieronymus*, vel ejus defenſor, qvænam fuerit neceſſitas mutandi illum characterem, qvi populo jam notus fuit, & ſurrogandi alium incognitum cunctis judæis. Etenim illâ Lege, qvam jam dudum Literis ſuorum digitorum conſignatam JEHOVAH per manum *Moſis* tulit Neh. 8, 14. Nehem. 9, 14. &c. 10. 29 utebantur in cultu divinô, qvi hactenus neglectus jacuit, inſtaurando. Nam כַּכָּתוּב juxta illud qvod dudum *perſcriptum extabat in Lege Moſis viri Dei*, erectô altari, holocauſta denuô inſtituerunt Eſd. 3, 2, & Feſtum tabernaculorum celebrârunt v. 4. Porrò *juxta ſcripturam Libri Moſis*, qvi jam ſcriptus extabat, ordinârunt Levitas & Sacerdotes Eſd. 6, 16. Qvâ igitur veriſimilitudine ſcribit *Hieronymus* poſt inſtaurationem Templi Literas ab Eſdra repertas fuiſſe? cùm eô tempore Eſdræ ac primis religionis reformatoribus ſufficeret ſcripta & ab exilio reportata Lex Moſaica; nullaq; evidenti neceſſitate adduceretur *Eſdras*, ut incognitô Scripturæ genere nuperè accenſum pietatis zelum, ſuccreſcentis eccleſiæ judaicæ primordia, & populum aſſvetum Literis Moſaicis, aliisqve negotiis qvàm diſcen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

ſcendis novis Literarum formis magis intentum turbaret. Confer Eſd.2, v.62.

Sextò, qvod ſi nova ſacrorum librorum Scriptura Hebraica ab *Eſdra* ſit inventa, ut *Hieronymo* placet, adeoq; antiqviſſima divinæ manus Literatura ſit abrogata, oſtendatur, qvô divino mandatô tam novum & audax Literarum molimen nitatur. Qvis enim facilè credat *Eſdram* eò audaciæ progreſſum eſſe, ut illam ſcribendi formam, qvam Dei digitus conſecrârat, qvam Deus denuò Legem ſcripturus indemnem & inviolabilem præſtiterat Deut. 10,4, qvam *Moſes, David, Salomon, Eſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel* &c. ad tempora *Eſdræ* uſurpârant, qvamq; populus noverat, propriò auſu abſq; ſpeciali Dei mandato prorſus mutaret, a ſacris Libris exſcribendis removeret, atq; ſic tenuia propriæ manus orſa & novella lineamenta antiqviſſimæ, abſolutiſſimæ & diviniſſimæ ipſius JEHOVAH Literatutæ præferret? Moſi producenti mandatum, *Scribe tibi verba hæc* Exod 34,27. fidem habem⁹: *Hieronymo* autē mandatū *Eſdræ* expreſſè a Deo datum de novis Literis inveniendis, publicandis & uſurpandis proferre nec audenti nec potenti credulâ temeritate non aſſentimur.

Septimò, ſi iidem Hebræorum & Samaritanorum characteres (Samaritici, ut putat Hieron.) fuerint usq; ad tempora *Eſdræ*, ſeqvitur Sacros Libros omnes olim Samariticis Literis fuiſſe ſcriptos. Si verò tot libri Joſuæ, Judicum, Samuelis, Jobi, Salomonis, Davidis &c Literîs Samaritanorum verè ſint exarati, vel unum ex tot librorum exemplaribus alicubi exiſtere neceſſe eſt. Deſignet itaq; *Hieronymus*, aut alius *Hieronymo* patrocinaturus, in qva orbis parte, in qvo regno, in qvo cœtu, urbe vel bibliotheca Samariticum *Eſaiæ*, *Jeremiæ* &c. volumen, & Samariticum δωδεκαπρόφητον deliteſcat. Indigitet eum, qvi hæc Samaritica divini codicis ſcripta unqvam viderit, legerit aut uſurpârit. Qvotus enim qviſq; eſt, cui curæ ac cordi eſt divina providentia in conſervando verbo, qvi ſibi perſvaderi patiatur, cuncta archetypa volumina Samaritica, ſi revera extitiſſent, & cuncta eorum ectypa ita intercidiſſe, ut ne unum qvidem ſupereſſet exemplar. Hoc opinari nil aliud eſt, qvàm Dei providentiam inſuper habere, ſacræ ſcripturæ perennitatem proſtituere, atq; Judæos curioſiſſimos in conſervandis Libris ac Literis divinis incuriæ præter meritum accuſare. Satius igitur fuerit, miſsâ hac opinione, ſtatuere tali olim Libros ſacros exaratos eſſe charactere Hebraicô, qvali ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

nos divinô munere propagati & adhuc excuſi cernuntur, & gratias agere ter opt.ter benigniſſimo Deo tanti,tam antiqvi,tam intemerati & precioſi theſauri conſervatori, qvàm opinari, tot ſcripta & exſcripta divina prorſus periiſſe; imò tutiùs erit fidere divinæ Providentiæ, qvàm Hieronymo ſuorum vaniſſimorum Præceptorum commenta non rarô narranti & publicanti.

Octavò, Literarum *Jod* & *Vau* figura hodierna collata cum locis Scriptutæ Matth.5, 18. & Exod. 26,33. rectè expenſis & intellectis, fidem Hieronymianæ narrationis minùs tutam reddit. De qva vide EXERCIT. noſtram opponendam *Joſephi Scaligeri* opinioni,qvâ Hebræorûm Literæ a Syriacis depravati memorantur.

Nonò, ſi auctoritas humana admittenda erit *Hieronymo* opponimus 1.*Auguſtinum*,qvi l.de Civ. Dei c. 39, docet *Lingvam Hebræam ejusq; Literas non cœpiſſe a Lege* multò minùs ab *Eſdra ſed per ſucceſſionem patrum cuſtoditas eſſe*. 2. *Clem. Alexandrinum*, qvi tradit l. 1. Stromat. qvòd per Eſdram (tantùm) *ſacrorum facta ſit recognitio & inſtauratio*. 3. *Tertullianum* c. 3 de habitu mulierum, qvi ſcribit, *inſtrumentum judaicæ Literaturæ eſſe reſtauratum*. *Chryſoſt.* Homil. 8 in Epiſt. ad Hebr. docet *Eſdram* ex reliqviis Scripturæ eam compoſuiſſe. *Hilarius* Præfat. in Pſalm ait Eſdram omnes Pſalmos collegiſſe & ex iis unum Librum confeciſſe. *Theodoretus* Præf. in Pſalm. tradit, Scripturam veterem depravatam tempore captivitatis ab *Eſdra* fuiſſe reſtitutam.

Ad extremum hæc ſunt *Momenta*, qvibus moti *Hieronymo* hactenus aſſentiri haut potuimus. Neutiqvam tamen ſuâ fraudandus erit gloriâ magnus Eccleſiæ Doctor *Hieronymus*, cujus meminit *Baronius* in Martyrologio paſſimq; in Annalibus; *Laurentius Surius*, Jac. *Charias Lippeloo*, *Alphonſus Vilega* in Sanctorum flore, *Petrus Diaconus*, *Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus*, *Jacobus Cavaccinus* Patav. in libr. Anachoretarum, *Gerardus Voſſius*, de Hiſt. Latin. lib.2, cap. 11, & deniqve *Jac. Philippus Thomaſinus* in Oratione de Laudibus *Hieronymi* excuſa PatavI, 1630.

Nunc porrò modeſtiùs opponenda fuiſſet nova EXERCITATIO opinioni magni olim Viri *Joſephi Scaligeri* de *hodiernis* Hebraicorum Voluminum *Literis*, qvas *ex Syriacis depravatas* perperam docet, uti teſtantur Animadverſiones ejus in Chronologica *Euſebii* p.109 ed. Lug. Batav. cIↃ IↃCVI, niſi temporis exiguum ſpacium qvô arctamur, obicem

cem poneret. Qvocirca veniam dabit benignus noſtrorum conatuum interpres, ſicubi in EXERCITATIONIBUS, præſertim SECUNDA injiciatur mentio III EXERCITATIONIS, cujus editionem Nundinis Librariis Autumni reſervare cogimur. Cujus etiam tempeſtivitati TRIADA novam Ægyptiacæ LITERATURÆ deſtinavimus, ſi Deus vitam ac vires benignè indulſerit. Hæc proponit *Mercurii*, *Iſidis* ἀῤῥήματα literaria, *Ægyptiacarum* & *Græcarum Literarum* mutuas colonias, auctoritatem ſacrorum Ægyptiacorum charagmatum, eorundem σύγκρισιν cum aliis *Literis*, ſigniſq; religioſis, militaribus, cœleſtibus, nec non etymon & partitionem, tandemq; Hieroglyphico Heliocanthari Schemate URANIAM SACRAM & PROFANAM repræſentat. Cui labori faveat & benedicat cœleſtis gratia!

Verùm enim verò ne pagellæ aliqvot vacent, in anteceſſum Vindiciarum, qvas forte EXERCITATIO hæc poſcet, ſi qva penna a pruritu & cacoëthe contradicendi non neceſſario neqveat ſibi temperare; præmittemus SPICILEGIUM qvarundam *Aſſertionum* ceu novum prophylacticum ſubſidium antiqviſſimis Hebræorum Literis debitum, illúdq; EXERCITATIONI huic TERTIÆ inſtar CORONIDIS in ſpem tuæ gratiæ, Lector benigne, ſubjungemus. In hoc autem SPICILEGIO ὡς ἐν τύπῳ publicis oculis & melioribus judiciis contemplandum proponemus varium armorum genus, qvô pugnant celebres Samariticæ aciei anteſignani. Nos igitur

1. ASSERIMUS a *Bartholomæo Mayero* Philol. Sacr. part. 1, ſeu Prodr. Chald. ſacri pag. 39, 40. edit. Lipſ. 1629, vocem סֵפֶר, Dan. 1, 4. & 17 inconvenientiùs trahi ad violandum priſcum & proprium jus antiqvitatis Literariis Hebræo-Biblicis debitæ.

2. *Mayerum* fruſtra præſidium petere e Germanica *Lutheri* Verſione, ibid. pag. 40.

3. Eundem ſeqventem veſtigia *Schindleri* docentis nomina conſonantium Literarum eſſe Chaldaica hallucinari pag. 50.

4. E nominibus Hebraicarum Literarum firmum non necti argumentum.

5. Siclis *Mayerianis* non plus ponderis ineſſe, qvàm *Capellianis* ad characteris Biblici divinâ Providentiâ conſervati antiqvitatem elevandam pag. 52, 53, 54, 55.

6. Non-


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)

6. Nondum ſolidè demonſtráſſe *Mayerum*, qvòd Judæi reduces e Babylonia novas *Literarum* notas, Legi Dei & Libris ſacris deſcribendis deſervituras ſecum attulerint pag. 52.

7. Idem eſſe noſtrum judicium de viris *Conſilij magni*, qvibus novum illud *Literarum* noſtrarum ſcitum confidentiùs aſcribit pag. 56, 57.

8. Textu Eſdræanô cap. 7. v. 12, in qvo Eſdra audit perfectus *Scriba*, perennitatem hodierni Hebræi characteris non tolli.

9. Crimine falſi non vacare *Morinum*, qvando Exercit. Eccleſ. in Samaritanorum Pentateuchum ita allegat pag. 29. ed. Pariſ. 1631 *Hieronymum* in cap. 3. Epiſt. ad Galat. v. 10, ut de ſuo textui *Hieronymiano* aliqvid aſſuat. Deinde *Morinum* ſe opponere communi oculorum ſenſui & *Samaritico Alphabeto*, qvod ipſe attulit Exercitat. 4, pag. 372, cum affirmat Vau Samaritanorum *uncum ſemper eſſe juxta omnium figuras*; Hebraico autem Vau denegat *unci* figuram, ut antiqvas noſtras *Literas* de ponte dejiciat Exerc. 2. pag. 154.

10. Nullô certô fundamentô niti *Blancuccium*, qvando Inſtit. in Lingvam Hebraicam ſuo Alphabeto hoc geminum  hoc modô repræſentans crucem inſerit, ut noſtris Literis crucem figat.

11. Nec teſtimonia, nec rationes, qvibus *Capellus* nititur Arcan. Punctat. l. 1, c. 6. p. 37, ed. Lugd. Bat. 1631 tanti ponderis eſſe, ut grande antiqvitatis momentū, qvod Hebręorū Biblicus character poſſidet, officiant.

12. Maximam Judæorum cùm antiqviorum tum recentiorum partem ſuffragari perennitati hodiernorum Hebræorum elementorum in Legis Tabulis, & ceteris divinis voluminibus extantium ſecus ac *Capellus* opinatur Sect. 1.

13. Ut paucis multa complectamur: Nec *Hieronymi*, nec *Scaligeri* opinionem rectè probando *Capellianæ* Queſtionis ſtatui, nec Hiſtoriam 2 Reg. 17 deſervire, nec ſolidè probatum eſſe, quòd judæi in Babylonia obliti ſint ſuarum Literarum, odiive in Samaritanos poſt reditum characterem ſuum mutaverint, nec e *Siclis* firmum duci argumentum, nec deniq; oſtenſum eſſe, quòd illi *Sicli* ante captivitatem Bab. cuſi ſint. Hic eſto limes adjecti SPICILEGII, quem ſtatuit temporis anguſta menſura, cui aſcribat benignus Lector, ſiqua incuria fudit aut humana parùm cavit induſtria.

Pag. 63. lin. 5. Lege Secundo *pro* Primo.

GLORIA PRINCIPIO ET FINI
JEHOVAH HAGOELI
A & Ω.

1276. a

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1276a 4° (1,-419)